This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LP
26
385

45 5 b 8 - Sle

Lp 26. 385.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)

JUN 8 1892

1-40

Titus Maccius

M. ACCI PLAUTI

EPIDICUS.

AD CAMERARII VETEREM CODICEM

RECOGNOVIT

(Johann) Friedrich

FRIDERICUS JACOB,

DIRECTOR LUBECENSIS.

LUBECAE

APUD BIBLIOPOLAM DE ROHDEN.

1835.

Lpr 26.385

JUN 8 1882
Minot Fund.

Lubecae, typis H. G. Rahtgens.

FRIDERICUS JACOB

FRID. BLUMIO ET JOAN. CLASSENIO

S. P. D.

Non omnino malae mentis malique animi esse hominem eum, qui „libertatem malitia invenit sua,“ uti dudum novistis, viri amicissimi, ita novissimo hoc eius facinore intelligetis. Qui enim vestra liberalitate „soccos, tunicam, pallium“ acceperit, a me iam e scrinii angustiis emissus vestrum se esse ait, neque prius pedem liberum quoquam laturum, nisi ante vestram domum consalutaverit. Itaque, quae vestra est bonitas, bene atque benigne hominem non malum accipite, simulque videte, an qui otia nostra sua vernilitate interdum exhilaraverit, idem inter seria vitae fidem promissam sit exsoluturus. Nam multa se ait vitia diu contracta deposuisse, omninoque se composuisse ad vitam severam. Grammaticum se quippe futurum atque instituturum puerulos, memorem et a quibus maioribus ortus sit et quibuscum viris aetatem ambiguam transegerit. Natum se enim esse Vetere Codice, diuque consuevisse cum optimo viro Joachimo Camerario. Neque minus deinde in domo Palatina Philippo Pareo Janoque Grutero usum familiariter. Tantumque inde se bonarum literarum amorem traxisse, ut quamquam miserrimo casu a patre in servitutem abacto distractus, et liberiori ingeniosorum quorundam vitae aliquantisper obsecutus, nunc tamen ad antiquam grammaticorum simpli-

citatem redire aveat. Quam voluntatem quum nobis Jovis quoque die in domos nostras, ut vespertina otia urbanitate oblectaret, admissus identidem nec sine fervore aperuisset, factum est, sicuti ipsi meministis, viri amicissimi, ut ego me ei consilio obsecundando paratum esse ostenderem. Jam istud promissum quo pacto solverim, et quo ornatu nostrum libertum, ut ne Gymnasiis nostris novus magister displiceret, instruxerim, paucis, nisi molestum est, accipite. Quod ut apud vos faciam, causam nullam esse, nam nequaquam vos mea consilia ignorare, nolite quaeso, viri amicissimi, mihi occlamitare. Nam quamquam tota haec epistola, amore quidem meo vestri, vestra est, res tamen quas ad Epidicum pertinentes tractat scitis esse eorum omnium, quibus, ut hunc grammaticum in scholas suas recipiant, cupimus persuadere. At iura vestra infringenda esse negatis, neque passuros, ut in regna vestra immittantur alieni? Male me vultis habere; video. Verum non me, sed Epidicum vos urere, hominem non magis ad invenienda, quam ad propellenda consilia callida versutissimum, illico sentietis. Is enim, quo vos ulciscatur, ad veteris comoediae iura revolutus parabasin se meditari ait.

Parabasis Epidici.

Patronus meus, Rectores Gymnasiorum illustres, virique omnes Latinissimi, in scholis nostris ait ad literas Latinas tantum temporis impendi, ut eam impensam magnus aliquis fructus remunerari debeat. Esse enim adolescentes ad eum huius linguae usum et intelligentiam provehendos, ut, quantum id quidem per aetatem

liceat, quemvis scriptorem Romanum non nimio labore possint legere, et ut in legendo praestantissimo quoque vires suas ipsi in schola periclitent; adeo ut et quas mutationes lingua experta sit, et quid literae Romanae debeant, exemplo scriptorum ipso edocti, finito scholastico cursu possint aliquo modo videre. Cui ampla consilio quo pacto satisfieri possit, pluribus exponere, et fines etiam aliquanto certiores ei addere non huius temporis esse; tantum tamen constare iudicat, ex eo orbe lectionis scholasticae non posse excludi vitae auctorem meum vaferrimum Plautum. Neque vero omnem eius progeniem, utpote procaciorem, in liberalium adolescentium consuetudinem posse admitti. Sed me esse inprimis modestum hominem, et aliis etiam praedicandum laudibus, quas, ne nunc ipsum immodestus videar, sileo. Itaque ait operae pretium fuisse curare, ut dignus dignis interesse possem. Idque sese instituisse ita: Unum naturae meae testem locupletem habuisse venerabilem parentem, Codicem Veterem. Si tamen eius oratio, ut qui diu inter exteros versatus esset, aliquid alicubi vitii gravioris contraxisset, quod esset corrigendum, hanc correctionem se indicavisse formis literarum inclinatis; deinde verba in codice quidem obvia, sed a se omissa insignisse † signo; hiatum contra, qui esset in codice, neque a se expleretur, appicto *. In notis vero omnem etiam literularum aberrationem, quae quidem esset a Pareo, homine fido, (in ed. Neap. Nemetum, an. 1619, 4to) contestata, diligenter se consignasse. Hunc igitur esse ubique codicem intelligendum, si nullo nomine adiecto quaedam in notis V. L. adscripta sit. Ceteros enim, agnatos, Palatinos et editionem princi-

pem, non illos quidem spernendos, sed unis patris mei opibus ditatos, neque tam quam illum sincerae fidei, tantum in auxiliis habuisse, et ubi res id postulare videretur, vocavisse ad partes; Langianos vero aliosque fidem prave mentitos procul habuisse a sua meaque simplicitate. Omnem porro diligentiam se adhibuisse omnibus et enotandis et explendis lacunis, (sic enim vocitari iam dudum, etiamsi non optime, verborum obliteratorum vacua spatia,) quas Pareus notavisset, ceteri prave neglexissent. Illud enim multorum vitiorum originem aperire, hoc fuisse faciundum, quia adolescentulis hic liber esset tradendus non mutilatus, sed, quantum fieri posset, sententiis integer. Atque in eis quidem addendis supplementis indulsisse se aliquantum ingenio non diffitetur, facilemque eius fore excusationem propter finem, quem sit secutus, non diffidit. Sed praeterea se fuisse in corrigendo parcissimum. Ubi tamen aliquid esset a VV. DD. correctum, quod in carmina recipiendum videretur, ibi a se, si modo res tanta esset, correctionis auctorem esse adscriptum; in omnibus vero minumis maxumis, quae ipse mutasset, ne in quem alium invidia caderet, semet ipsum esse mutationis auctorem professum; vulgarem praeterea lectionem adposuisse ubique. Omnium vero maxime cavisse, ne quid maius propter metra novaret. Nam multa esse, quae ab hac parte nesciamus; neque quidquam se magis reformidare magisve arbitrari vero literarum incremento nocivum, quam si artis leges rigidae ponantur, antequam artis idonea silva congesta sit. Itaque in normam aliquam legitimam revocare non ausus est, quaecunque ab eo homine scripta esse viderentur, qui

nondum exactissimis prosodiae regulis, aurium potius iudicium et celerrimi ingenii licentiam sequi mallet, quam formulam legis, ex qua ille iudicaturos aut paucos aut nullos spectatores noverat. Ut tamen talium versuum lectio aliter institutis adolescentibus expeditior esset, visum sibi esse ait patronus, ut utilitati potius consuleretur, quam formae venustati. Itaque se varia signa inferre carminibus non esse veritum; nam lineolam - significare vocalem a vocali non haustam, sive ea totam suam vim teneat, sive amittat dimidiam; syllabas liquescentes, se notasse non omnes, sed tantum quae moram obiicere legentibus possent, quale esset mih'i = mi, novi'sti = nosti, etc., in quibus a codicis orthographia recedendum non esse videbatur; praeterea se'nex, do'mi, alia; nihil tamen esse notatum in meo, tuo, deo, aliisque formis identidem liquescentibus; eandemque rationem valuisse, ubi positio contra legem syllabas non produceret. Ceterum adnotationem, qua adolescentium studia sublevarentur, consulto se addidisse nullam. Nam primos Gymnasiorum ordines quid suis viribus valeant, optime experiri ipsos; praeceptoribus autem non recte aut subripi aut praescribi adnotatione, quid quoque loco, et quomodo dicant; neque omnino posse talem inveniri adnotationem, in qua non aut supersit aliquid aut desit. Quae igitur paucae notae appictae sint, eas id tantum agere, ut unde quidque sit, quod carmina praebeant, et qua auctoritate innisum, magistri intelligant.

Denique operam, quam mihi optimus patronus benigne navare voluit, ut ne vobis improbetur, neve me a grammaticae muneribus, quibus me totum hinc sum daturus, arceatis, qua par est reverentia vos pre-

cer, viri illustres; ipse vero ad novum munus non temere accessi; nam quam difficiles partes in me receperim, non ignoro, ut qui ipsum Musarum alumnum fateri didicerim,

Κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων.

Exit Epidicus.

Ecquid sentitis, viri amicissimi, quantum beneficium lepido hoc parabasis invento in vos contulerim? Nam dum praecavi, ne quae non vobis scripta erant, vobis esse scripta arbitraremini, diligenterque perlegeretis, egregie otio vestro peperci. Nisi quod propter mei amorem vos etiam ista benevole lectitavisse scio; omnia enim mea vestra esse putatis. Atque eodem ab animo totam hanc epistolarem tenuitatem, quae muneris naturam non dedecere videbatur, grate amplectemini, neque amare pergetis.

Dabam Lubecae d. 10 mens. Jul.

EPI-

EPIDICUS.

ARGUMENTUM.

Emít fidicinam, fíliam credéns, senex
Persuásu servì-, átque conductítiam
Iterúm pro amica- éi subiecit; fílio
Dat hérili argentum; eó sororem déstinat
Imprúdens iuvenis. Móx compressae ac mílitis
Cognóscit opera síbi senex os súblitum.
Ut ílle amicam-, haéc quaerebat fíliam;
Sed invénta gnata sérvolum emittít manu.

---

vs. 2. *conductam.* vs. 3. *filii.* vs. 7. Hiatus ter admissus, quum versus neque vitii suspicionem moveant, eoque sint aevo scripti, quo admittere hiatum erat interdictum, satis demonstrat eorum scriptorem statuisse, a Plauto, quem imitabatur, hiatum esse non vitatum.

FABULAE PERSONAE.

EPIDICUS, } servi Periphanis.
THESPRIO, }
SRATIPPOCLES, filius Periphanis.
CHAERIBULUS.
APOECIDES, senex.
PERIPHANES, senex.
MILES.
PHILIPPA.
ACROPOLISTIS.
TELESTIS.
FIDICINA.
DANISTA.
SERVI.
GREX.

Bacchid. II., 2., 36: Chrysalus.

Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,
Nullam aeque invitus specto, si agit Pellio.

Actus Primus. Scena Prima.

Epidicus. Thesprio.

Ep. Heús adulescens! *Th.* Quís properantem mé prehendit pállio?
Ep. Fámiliaris. *Th.* Fáteor; nam odio es nímium familiáriter.
Ep. Réspice vero, Thésprio-! *Th.* Oh!- 'Epidicumne ego cónspicor?
Ep. Certe óculis uteris. *Th.* Sálve. *Ep.* Di dent, quaé velis.
Veníre salvom gaúdeo. *Th.* Quid céterum? *Ep.* Quod eo ássolet;
Cená tibi dabitur. *Th.* Spóndeo. *Ep.* Quid? *Th.* Me ácceptnrum, sí dabis.
Ep. Quid tú-? agis, ut velís? *Th.* Exemplum adést. *Ep.* Intelligo. Eúge!
Córpulentiór videre, atque *hábitior*-. *Th.* Huic grátia.
Ep. Quám quidem te iám *duello* pérdidisse opórtuit.
Th. Mínus iam furtificús sum, quam antehac. *Ep.* Quíd ita? *Th.* Rapio própalam.

---

vs. 1—3. troch. tetram. catal.
vs. 3. *verod Hesprio.*
vs. 4. iamb. senar. *Certe oculis uteris;* nam auribus te minus valere, qui familiaris vocem non noveris, modo expertus sum.
vs. 5. et 6. iamb. tetram. vs. 7. catal.
vs. 8—17. troch. tetr. catal. *adesse intelligo. Ep. Euge. Adest* etc. correxit Palmer. Spicil. p. 85. Vulgo, *Eugepae.*
vs. 8. *agilior; habitior* Lips. e cod. Roveriano.
vs. 9. *diu;* Camer. correxerat, *diu deperd.* Ego mihi videbar melius scribere *duello.* Nam quo illa vis praepositionis *de* pertinet, auctae etiam caesura? *Duello* autem Thesprionis facetum responsum inducitur, quo se sinistra iam non uti ait; nam *rapere se propalam,* tanquam hominem militarem, seu militarem praedonem. Quamquam non nego, locum vel hac mea coniectura nondum persanatum videri. Vulgo: *Quam quid. iam diu te perd.*

Ep. Di ímmortales *te* ínfelicent! 'Ut tu is gradibus grándibus.
Nam ut apud portum té conspexi, cúrriculo occoepí sequi;
Víx adipiscendí potestas módo fuit. *Th.* Scurra és. *Ep.* Scio,
Te ésse quidem hominem mílitarem. *Th.* Audácter quamvis dícito.
Ep. Quíd agis? perpetuóne valuisti? *Th.* Várie. *Ep.* Quí varié valent,
Cáprigenúm hominum nón placent mihi néque pantherinúm genus.
Th. Quíd tibi vis dicám, nisi quod est? *Ep.* 'Utíle respondé. *Th.* Probe.
Ep. Quid herílis noster fílius? valet? *Th.* Púgilice atque athlética.
Ep. Volúptábilem mihi núncium tuo ádventu adtulísti.
Sed ubi ést is? *Th.* Advení simul. *Ep.* Ubi is érgo 'st, nisi si in vídulo,
Aut si ín mellina-, ádtulisti? *Th.* Dí te perdant! *Ep.* Té volo —
Percóntari- operám *mihi* da-: ópera reddetúr tibi.

---

vs. 11. om., habent libri alii, reposuit Lambinus. *es* (pro, *is*) scribit corrector v. codicis.

vs. 13. Fort. *apiscendi;* cf. C. Kampmann Annott. in Rud. (Olsn. 1830) p. 13. sq., qui semper *apisci* Plautum scripsisse probatum it, nunquam *adipisci.*

vs. 15. *perpetuene; e* et *o* saepe miscet, velut vs. 66., *votuit.* Vulgo: *Quid ais?* Sed *agis* omnes ut videtur Mss., etiam ed. princ.

vs. 16. *capre aginum* a m. pr.

vs. 17. *ut illi respondi,* sed videtur hiatus esse unius alteriusve syllabæ. Viam meæ emendationi munivit Bothe, qui scribit: *utilia responses probe.* Utrum *probe* Thesprioni a V. C. tribuatur, nec ne, ex Pareo non liquet. Neque tamen ea personarum distinctio Grutero debetur, ut ait Taubm.; nam est iam apud Camer. — Vulgo: *ut illa respondeas probe.*

vs. 18—26. iamb. tetram. sed vs. 19. catal., cui vulgo adhaeret *sed ubi* ex vs. sq.

vs. 20. Fort. *advenit,* ut volebat J. Douza. pro *ergo* peccat *ego.*

vs. 21 et 22. eodem et fortasse meliore iure troch. dices, quo iambos; sed non putabam, tam licenter numeros mutasse poetam, quum in sententiis causa mutationis nulla sit.

vs. 22. om. — *reditur,* prima erasa, quasi fuerit *creditur.* Vulgo *reddibitur.*

Th. Jus dícis. *Ep.* Me decét. *Th.* Jam tu autem nobis praetúrám geris?
Ep. Quem díces digniórem esse hominem hódie Athenis álterum?
Th. At únum a praeturá tua, Epídice, abest. *Ep.* Quidnám? *Th.* Scies.
Lictóres duo, duo vímínei fascés virgarum. *Ep.* Vaé tibi!
Séd quid *aiis*? *Th.* Quíd rogas? *Ep.* Ubi árma sunt Stratíppocli?
Th. Pól illa ad hostes tránsfugerunt. *Ep.* 'Armane? *Th.* Atque quidém cito.
Ep. Sérione dícis, *Thesprio*? *Th.* Sério inquam. Hostés habent.
Ep. 'Edepol, facinus ímprobum. *Th.* At iam ante álii fecerúnt idem.
'Erit illi illa rés honori. *Ep.* Quí? *Th.* Quia ante aliis fuit:
Múlciber, credo, árma fecit, quae habuit Stratíppocles;
Trávolaverúnt ad hostes. *Ep.* Tum ílle prognatús Theti,
Síne perdat! alia ádportabunt éi Nerei fíliae.
Id módo videndum'st, út materies súppetat scutáriis,
Si in síngulis stipéndiis is ad hóstis exuviás dabit.
Th. Supérsede istis rébus iam. *Ep.* Tu ipse, úbi lubet, finém face.
Th. Desíste percontárier. *Ep.* Loquere ípse, ubi est Stratíppocles?
Th. Est caúsa, qua causá simul mecum íre veritu'st. *Ep.* Quídnam id est?
Th. Patrém videre *sé nevolt* etiám nunc. *Ep.* Quaproptér? *Th.* Scies.

---

vs. 26. *fasces ulmei* placent Hermanno, Elem. p. 161.
vs. 27—34. troch. tetr. catal. — *ais; aiis* iam Bothe scripsit.
vs. 29. *tu; Thesprio* eius loco a me scriptum est. *tu* ex nominis compendio *te* ortum putabam. Bothe coniecit *tute*, quod propius est a cod. vitio; sed non memineram exempli, ubi *tute* in fine sententiae interrogaret sine personarum antithesi.
vs. 34. *ei.*
vs. 35—42. iamb. tetram. *scrutariis.*
vs. 37. *ibi.*
vs. 38. *percunctanter.* Vulgo, *Eloquere.*
vs. 40. *scnem non;* vulgo *se non.* correxit *se nevolt* Bothe et Herm. Elem. p. 161.

Quia fórma lepida et líberali cáptivam adulescéntulam
De praéda mercatú'st. *Ep.* Quid ego - ex te áudio? *Th.* Hoc, quod fábulor.
Ep. Cúr eam emit? *Th.* 'Animi causa. *Ep.* Quót illic homo animós habet?
Nám certo priúsquam hinc ad legátionem abiít domo,
'Ipse mandavít mihi *multis*, ab lenone ut fídicina
Quám - amabat, émeretur sibi, id ímpetratum réddidi.
Th. 'Utcunque in alto véntu'st, Epidice, éxin velum vórtitur.
Ep. Vaé misero mihí, male perdidít me! *Th.* Quin istúc *quidem*.
Ep. Quíd, istanc quam emit, quánti eam emit? *Th.* Víli. *Ep.* Haut istuc té rogo.
Th. Rédde igitur *tum*. *Ep.* Quót minis? *Th.* Tot. *Ep.* *Quid*, quadragintá minis?

---

vs. 43—55. troch. tetr. catal.

vs. 44. *Legationem* cogita militarem, qua *Theti prognatum* istum bellatorem ridicule exornat. Vulgo *legionem*, quod est in Pall. et ed. princ.

vs. 45. *multis* om.; ego adliterationem ducem secutus addidi.

vs. 46. Versus iambo quam trochaico similior, et *quām* fortasse iure licentius; sed malim *quamde* scribere, quam iambum immittere in mediam hanc orationem trochaicam. Ceterum ea etiam vs. 44 et 45 lento incessu versuum animum describit post indignationem (*Quot illic homo animos habet,*) meditabundum, qui tandem hoc praeter opinionem potuerit fieri.

vs. 47. Aut *cunque* primam corripit, aut *in* plane liquescit. quod si durius videbitur, iambum esse statues.

vs. 48. *Ve mis. — quidnam est; quin*, ut est in V. C., monstrabat ridiculam hic esse correctionem; eam reddidisse mihi Plauto videor scribens: *quin istuc quidem.* Thesprio verbis ludens non *Epidicum* ait hérum *perdidisse*, sed *istuc*, pecuniam pro fidicina datam, quam amare desiit Stratippocles. Vulgo, *Quid istuc? quidnam est?*

vs. 49. V. C. *vilei.*

vs. 50. *Reddigitur. — tum* om.; ego particulam, quam oratio comica in conditionem vertere solet, ut versum supplerem, addidi, sicuti *quid* ante *quadr.* Fortasse creticum quis statuet: *Rédde igitur.* Ep. *Quót minis. Th. Tót. Ep. Quadraginta minis!* Non praetermittenda videtur memorabilis personarum distinctio, quae est in ed. princ. (referente C. E. Ch. Schneidero in Progr. celebrante d. nat. Frid. Guilelm., an. 1825. Vratisl.) *Ep. Quot minis? Th. Tot; quadraginta minis. Ep. Id adeo argentum — Th. Ab danista apud Thebas — Ep. Sumpsti fenore. Th. In dies minasque* etc. Et erat fortasse ea distinctio recipienda.

Th. Id adeo argentum áb danista apúd Thébas sumpsit fénore,
In dies minásque argenti síngulas nummís. *Ep.* Papae!
Th. Et ís danista advénit una cúm eo, qui argentúm petit.
Ep. Di ímmortales, út ego interii básilice. *Th.* Quíd iam, aút quid est,
Epidice? *cedo.* *Ep.* Pérdidit me. *Th.* Quís? *Ep.* Ille, qui arma pérdidit.
Th. Nam quíd ita? *Ep.* Quia quotídie ipse ad me áb legione epístolas
Mittébat, — sed taceam óptumum'st. Plus scíre sátiu'st, quám loqui
Servom hóminem; ea sapiéntia est. *Th.* Nesci'o, édepol, quid tu tímidus es?
Trepidás, Epidice, ita *vóltu tuo* vidére commeruísse
Hic me ábsente in te aliquíd mali. *Ep.* Potin' sít molestus né sis?
Th. Abeo. *Ep.* Asta! abire hinc nón sinam.
Th. *Nam* quíd nunc me rétines? *Ep.* Amátne istam, quam émit
De praéda? *Th.* Rogás? Deperít. *Ep.* Detegétur
Coriúm de tergó meo!

---

vs. 54. *balisce.*

vs. 55. *Cedo*, quod syllabarum similitudinem, *epidice*, hausisse putabam, addidi et *perdidit arma* ordine mutavi. Jambicum quondam putabam ita ordinandum: Epídice? *Ep.* Pérdidit me? *Th.* Quis? *Ep.* Illíc, qui perdídit árma.

vs. 56—58. iamb. tetram. Vulgo *tu* ante *timidus* omittitur.

vs. 59. iamb. tetr. catal. *voltum tuum videor videre* vel *videri*. Ego correxi; quia *videre* i. e. *videris* videbatur mihi per istam glossam explicari: *videor*, *videri;* ea dein accusativum traxit. Versus autem aliquid abundare monstrabat. Vulgo, *ita voltum tuum video, videre.*

vs. 60. iamb. tetram.

vs. 61. iamb. dim.

vs. 62 et 63. bacch. tetram. *Nam* addidi, syllabam si*nam* proxime praecedentem repetens.

vs. 63. Nonius *degetur* praebet sub hac voce. Mihi adliteratio videbatur ter plene repetita praepositione *de* gravius in aures incidere et a Plauto venisse.

vs. 64. bacch. dim.

Th. Plúsque amat, quam te únquam amavit. *Ep.* Júppitèr te pérduit!
Th. Mítte nunc iám me nam ille mé vetuit demúm venire.
Ad Chaéribulum iússit huc in próximum;
'Ibi manere iússit; eo venturu'st ipsus. *Ep.* Quíd ita? *Th.* Dicam.
Quía patrem prius † cónvenire nón volt, neque se cónspicari,
Quám id argentum, quód debetur pro ílla dinumeráverit.
Ep. Heú édepol res túrbulenta'st! *Th.* Mítte me, ut eam núnc iam.
Ep. Haécine ubi scibít senex —? Pereúnda puppis ést probe!
Th. Quíd istuc ad me áttinet, quo tu íntereas modó? *Ep.* Quia
'*Ego* perire sólus nolo; té cupio períre mecum,
Bénivolens cum bénivolente. *Th.* Abi ín malam rem máxumam a me
Cum ístac condicióne. *Ep.* I sane, sí quid festínás magis.
Th. Núnquam hominem quemquám conveni, unde ábierim libéntius.
Ep. 'Illic hinc abiit; sólus nunc es; quo ín loco haec res sít, vides,
'Epidice! Nisi quíd tibi in tete aúxili est, absúmptus es;
Tántae in te impendént ruinae. Nísi suffulcis fírmiter,
Nón potes subsístere. Itaque in te írruunt montés mali.
Néque nunc, quomodo me éxpeditum ex ímpedito *egó* faciam,

---

vs. 65. troch. tetr. catal. vs. 66. troch. tetram. Nisi vs. sequentem ultimam syllabam trahere dixeris. cf. II, 1, 5.
vs. 66. *votuit.*
vs. 67. iamb. sen.
vs. 68 et 69. troch. tetram. vs. 68. vulgo, *ipse.* vs. 69. add. *se.* alterum *se* ante *conspicari* vulgo omittitur.
vs. 70—73. troch. tetr. catal. vs. 71. vulgo *turbulentas.*
vs. 72. *puppis pereunda.* comparat Acidal. *placenda dos quoque est* ex Trinum.
vs. 74 et 75. troch. tetram. *Ego* a me additum propter versum fulciendum.
vs. 76. usque ad finem scenae troch. tetr. catal.
vs. 78. Si semel in actus et scenas fabulas disponimus, erat hic nova scena instituenda. Sed nolebam nimis turbare numeros. Vulgo *es nunc.*
vs. 82. *ego* ante *nunc;* ordinem ego mutavi.

Cónsilium placet; égo miser pépuli méis dolis sénem,
'Ut censeret suám sese emere filiam; is suo filio
Fídicinam emit, quam *ille* ama*bát*, quam ábiens mandavít mihi.
Sí sibi nunc álteram ab legióne abdúxit *ámiculam*,
'Animi causa, córium perdidí. Nam iam ubi se'nex sénserit,
Síbi data esse vérba, virgis dórsum despoliét meum.
'At enim tu praecávě. Nihil est istud. Pláne hoc corruptúm'st caput.
»Néquam homó es, Epídice!« Qui *tibí* lubído est mále loqui?
»Quía tu tete déseris.« Quid fáciam? »Mene tú rogas?
Tú quidem antehac áliis so'lebas dáre consilia mútua.«
*Quíd? »Aliquid reperí!« Pereúndum'st. — Séd ego cesso ire óbviam
'Adulescenti, ut quíd negoti sít sciam. Atque ipse íllic est.
Trístis est. Cum Chaéribulo incédit aequalí suo.
Húc concedam, oratiónem unde hórum placide pérsequar.

---

vs. 83. Fort. *pepuli;* duri admodum alioqui numeri, quia duae natura breves syllabae hanc cingunt, et mi*ser per* auribus displicent correptae.

vs. 85. *ipse amat;* *amabat* correxit Bothe: *ille* ego rescripsi, quia *ipse* ad Periphanem prave referendum esset; unde etiam alter ortus error, *amat.*

vs. 86. *amiculam* addidi, praeeunte Bothio, qui scripsit: *Is nunc alteram ab legione amiculam adduxit sibi.* Ego malebam numeros duriores relinquere, quam corrigere audacius. Ceterum *Si* ex C. V. reducendum duxi ob libri auctoritatem. Quamquam magis placet, quod vulgatum est, *Is — amiculam. Animi causa!* Est enim oratio incisis his enunciatis incitatior, ut hunc affectum decet. Verum unde istud *is* sit, nescio; a Palatinis quidem omnibus abest; neque minus ab ed. princ. *abdux.* codd.

vs. 87. malim inducere *iam.* vs. 88. Vulgo, *depoliet.*

vs. 89. dure *est istud;* fortasse *ést* rectius inducetur, vel scribetur *id.*

vs. 90. *tibi* om. nec minus Pall. omnes. Interposuit, ut puto, Camer. Et fortasse aliud aliquid excidit, quo personae, quae finguntur duae, vel melius notentur; velut: *Qui lubído est, misero mále loqui?*

vs. 91. *men'.* vulgo *tute te.* vs. 92. Fortasse rectius statues liquescere non primam in *solebas*, sed in part. *quidem;* aut etiam scribes: *Tu qui antehac aliis solebas* etc. quod ego nolim.

vs. 94. Initio huius versus lacuna in V. C. notatur, sed nihil videtur deesse. Vulgo, *aliquid reperiundum est. sed* etc.

úsque amat, quam te únquam ar
pérd,
Itte nunc iám me nam ille mé
l Chaéribulum iússit huc in pr
)i manere iússit; eo ventúru'st
Th.
uía patrem prius † cónvenire nó
uám - id argentum, quód debetu
leú édepol res túrbulenta'st! Th.
lsécine ubi scibít senex —? P
)uíd istuc ad me - áttinet, quo tu
Ego perire sólus nolo; té cup
bénivolens cum bénivolente.
m
Cum ístac condicióne. Ep. I
Númquam hominem quemquám
I
Ille hinc abiit; sólus nunc e

Epidice! Nisi quíd tibi in t
Tántae in te impendént ruin
Nón potes subsístere. Itaque
Néque nunc, quomodo me

)dum
tibi.
s.
no
ibi? 5
)peri?
tuli.
1 amore

opus. 10

: troch. tetr. catal. vs. 66. tr ultimam syllabam trahere di
. votuit.
. iamb. sen.
et 69. troch. tetram. vs. alterum se ante conspicari v
— 78. troch. tetr. catal. vs.
. puppis pereunda. comparat ex Trinum.
et 75. troch. tetram. Ego ciendum.
. usque ad finem scenae tro
Si semel in actus et scen scena instituenda. Sed no es nunc.
ego ante nunc; ordinem

nt. Sed id ut. Deinde risim.) Quin istud caput, nisi fallor cineret istud cum St. in si excusabun- ratus, in quo inquit; simi- pse consolatus diffidentem me nam. — Solito la Plautus pin- peri.
in amore tempe- refertur enim ad n assumit, quam isi ut praecedat, temperds. Nam sit, describitur; qui. Id ita esse, inter sapienti isti acerbitate repetit suis; Is est ami- enorales sunt, in-
ed re tot repetita

? *St.* Argenti dáre quadragintá minas,
unde ego illud sumpsi fénore.
nón negarem. *St.* Nám quid te igitur
réttulit,
tione, si ád rem auxilium emórtuum est?
út clamore díffatigor, dífferor.
mihi amícos fúrno mersos, quám foros
dicí nunc me emere prétio pretiosó velim.
go hominem írrigatum plágis pistorí dabo,
cómparassit míhi quadragintá minas,
fuero élocutus éi postremam sýllabam.
béne promittit; spéro, servabít *fidem.*
uptú paratae iám sunt scapulis sýmbolae.
ominem. Advenientem péregre herum † Stra-
típpoclem
tít salúte servos Epídicus. *St.* Ubi is ést?
Ep. Adest.
c te gaude'o ádvenisse. *St.* Tám tibi *id* credo,
quám mihi.
usque valuísti? *St.* A morbo válui, ab animo
aegér fui.
ıd me attinuít, ego curaví, quod mandastí mihi;

---

ar.

. V. C. omnes Pall. et ed. princ. Habet iam in carminibus nerar.; Taubm. in Langianis esse auctor est. Sed isti codd. lequaque, et maxime ex grammaticis interpolati, nullius ctoritatis sunt.

Beneficus non promissis, sed sapienter dictis.

differor, diffatigor.

mensea.

idem. fidem dedit Lambinus.

. add. *suum;* omisi, quia Stratippocles ut antepenultimam corriperet, nimis durum videbatur.

5 *huc* post, *gaudeo.* — *istud.* Ego utrumque mutavi. Bothe hiatum post *Salva* statuens, versum finit verbis: *Ubi is est.* Sequentem bacchium fecit tetr.: *Adést. Salvom té gaudeo húc advenisse.* Dein: *Tam* — *mihi* troch. dimetr.

27. Fortasse rectius ita habebit: Quód ad me attinuit, égo curavi, quód mandavisti mihi.

Ímpetratum est. Émpta ancílla' st; quód tute ad me líteras
Míssiculabás. *St.* Pérdidisti omnem óperam. *Ep.* Nam qui pérdidi?
St. Quía meo neque cára'st cordi, néque placet. *Ep.* Quid réttulit,
Míhi tantopere té mandare et míttere ad me epístolas?
St. Illam amabam olím, nunc iam alia cúra impendet péctori.
Ep. Hercle miserum est, ingratum esse hóminem, id quod faciás bene!
Ego quod bene féci, male feci; quía amor mutavít locum.
St. Désipiebam méntis, quom illas scríptas mittebám tibi.
Ep. Men' piáculárem oportet fíeri ob stultitiám tuam,
Ut meum tergum stúltitiae tuae súbdas succidáneum?
St. Quíd istic verba fácimus? huic hómini ópu'st quadragintá minis,
Céleriter, calidís, danístae quás resolvás et cito.
Ep. Díc modo, unde auférre me vis; á quo trapezitá peto?
St. Unde lubet; nam ni ánte solem occásum τοῦ ἥλω τ'ἀργύριον,
Meám domum ne- ímbitás tu, te in pistrínum *tu* ínferas.

vs. 28. *est ancilla.*

vs. 39. Vulgo, *resolvat.*

vs. 41. *occasum . . . elo . . . .* Hanc V. C. lacunam his verbis explevi. Quamquam enim non sane admodum facete haec dicuntur, tamen a Plauto ita venisse putabam. Nam non de nihilo videtur, quod Pal. sextus et quartus hanc glossam habent: *helo est verbum graecum: accepero.* Deinde ed. princeps praebet: *solis occasum* ἕλω. Tum quam naturaliter haec tota oratio cadat, vides. Denique cur graece respondeat, haec esse causa videtur. Epidicus cum sanna quaesiverat: a quo *trapezita* peto? Id succensens Stratippocles itidem graece haec stomachabundus effert. Sic saepe apud Plautum iocus iocum parit, et interdum etiam frigidiorem. Veluti supra vs. 16. *furno mersos non foro.* Quod tamen ita ei placuit, ut Epidicum etiam comminetur irrigatum plagis pistori se daturum.

vs. 42. *pistrinum . . inferas . tu* ego interposui. Sed versus male ambulat. Unde fortasse consultius erat, lacunam in C. V. nunc non curare, (qui interdum vacua spatia sine causa relinquit,) et creticum, quo pedes ipsi nos ducunt, ita restituere: *Meám domum ne ímbitas! Te in pistrinum ínferas!* Sed neque hic neque supra vs. 25. a trochaicis versibus recedere audebam.

Ep. Fácile tu istuc síne periclo et cúra, corde líbero
Fábulare . nóvi ego nostros; míhi dolet, quom ego vápulo.
St. Quíd tu nunc? patiérin' ut ego me ínterimam? *Ep.* Ne féceris!
'Ego istuc accedám pericu'lum pótius atque audáciam.
St. Núnc places; nunc égo te laudo. *Ep.* Pátiar ego istuc, quód lubet.
St. Quíd illa fiet fídicina igitur? *Ep.* 'Aliqua *res* reperíbitur,
'Aliqua ope exsolvam, éxtricabor áliqua. *St.* Plenus cónsili es;
'Nóvi ego te. *Ep.* *Est* Eubóicus miles lócuples, multo auró potens;
Qui úbi tibi istam emptam ésse scibit, átque hanc adductam álteram,
Cóntinuo te orábit ultro, ut íllam tramittás sibi.
Séd ubi illa est, quam tu ádduxisti técum? *St.* Iam faxo híc erit.
Ch. Quíd hic nunc agimus? *St.* Eámus intro huc ád te, ut hunc hodié diem
Lúculente habeámus. *Ep.* Ite intro; égo de re argentária
Iám senatum cónvocabo in córde consiliárium,
Quoí potissimum índicatur béllum, unde argentum aúferam.
'Epidice, vide, quíd agas! ita res súbito haec obiectá'st tibi.
Nón enim nunc tibi dórmitandum, néque cunctandi cópia'st.
'At eundem senem óppugnare cértum est consiliúm mihi.
'I, i, abi intro atque ádulescenti díc iam † herili fílio,
Ne híc fo'ras ambulét, neve usquam óbviam veniát seni.

---

vs. 46. *audatiam.*
vs. 48. *Quid de illa;* omittit Nonius *de* s. v. reperibitur. *re reperib.* *res* a me est.
vs. 50. *Est* om.
vs. 60. *mihi* vulgo omittunt.
vs. 61. add. *nostro.* Ego abieci; non solum, quia versus respuit, sed etiam quia absurdum est, ut se adloquens dicat: dic *nostro* herili filio.

Actus Secundus. Scena Prima.

Apoecides. Periphanes.

A. Plerí́que homines, quós, quom nih'il réfert, pudét, ubi
Pudéndum'st, ibi eós deserít pudor, quom úsu'st,
Ut púdeat. Is adeó tu es. Quid ést, quod pudéndum
Siét, genere nátam bonó pauperém domum
Dúcere uxórem, praesértim eam, qua éx tibi
Cómmemores fíliam prógnatam hanc, quaé domi'st? *P.* Révereor fílium.
A. 'At pol ego crédidi uxórem quam tu éxtulistí pudore éxsequi.
Quóius quotiéns sepulcrúm vides, sácruficas íllico Orco hóstiis.
Néque adeo iniúria, quía licitum'st eám tibi vívendo víncere. *P:* Oh!
Hércules égo fui, dum ílla mecúm fuit.

---

vs. 1—4. bacch. tetr.

vs. 3. Obscurius de huius versus lectíone Pareus: *Isadeo*) V. C. et omnes pariter Pall. *quides q. p. e.* Videtur autem ad sqq. pertinere; nam etiam ed. princ. non *quid est* habet, sed *qui Des.*

vs. 5. cret. tetram. vs. 6—9. cret. senar., quos quia codd. sic versus disponunt, nolui aliter distinguere.

vs. 6. *hanc quae domi'st filiam prognatam;* ordinem versus causa egò mutavi. *familiam* a. m. sec.

vs. 10. cret. tetram. vs. 11 et 12. iamb. tetr. catal.

Hermannus Elem. pag. 315 sq. hanc scenam ita disponit:

A. Plériquae omnes hómines, quos, quom nil reffert, pudet, ubi pudendum est,
íbi eos 'deserít pudor, quom usust, ut pudeat. is adeo tu es.
quid ést quod pudendum
siét genere natam bonó pauperém te
domum ducere úxorem? praesértim eám qua ex
tibí commemorés hanc, domi quae est, prognatam
P. révereor fílium. A. at pól ego te crédidi
quám tu uxorem éxtulistí, pudore éxsequi:
quóius quotiéns sepulcrúm vides, sácruficas
íllico Orco hóstiis, néque adeo iniúria,
quia lícitum eam tibi ést vivendo víncere. P. Oh
Hércules égo fui, dum ílla mecúm fuit

Neque séxta aerumna acérbior Hercu'lí, quam illa mih'i obiécta est.
A. Pulcra, édepol, dos pecúnia est. *P.* Quae quídem non maritáta est.

Actus Secundus. Scena Secunda.

Epidicus. Apoecides. Periphanes.

Ep. *Attataé!* tacete! habéte animum bonúm! liquido exeó foras
Auspício avi sinístra.
Acútum cultrum habéo, senis qui exénterem marsúpium.
Sed eccom ípsum ante aedis cónspicor, Apoécidenque *acherúnticum;*
Qualís volo, vetulós duo. Iam ego mé convortam in hirúdinem, atque
Eorum éxsugebo sánguinem, senáti qui columén cluent.
A. Cóntinuo ut marítus fiat. *P.* Laúdo consiliúm tuum.
Nam égo illum audivi in amórem haerere apúd néscio quam fídicinam;

---

neque séxta aerumna acérbior pol Hérculi,
quam ílla obiectást mihi.
A. pulcra édepol dos pecúnia est. P. quae quídem pol non marita est.

vs. 1. iamb. tetram. *State;* Pall. et ed. princ. *Atat. Attatae* correxit Bothe. Vulgo, *St, st.* vs. 2. iamb. dim. catal.

vs. 3—5. iamb. tetram.

vs. 4. post *Apoeciden* lacuna est; quam ut vides explevi. In quo et quid versui deesset reputabam, et quid hunc *senicem* deceret. Eum vero decrepitum dudum haud dubie noverat Epidicus. Deinde quoties ridendi materiam quaerant, nomina τῶν δήμων leviter deflectentes veteris comoediae auctores, nemo ignorat; veluti hic Ἀχαρνικῶν γερόντων memoria facile Atheniensibus rediibat. Denique cur multis audaciam excuso? nam in his desperatis quid facias, nisi ingenio ludas? Vulgo, *Apoecidae.*

vs. 5. *atque*, quo versus finitur hypermeter, fortasse rectius, ut iam feceram, induxissem. Sed similis fere agitur causa I, 1, 64; II, 2, 44. Itaque nihil ausus sum.

vs. 6. iamb. tetr. catal. Nonius habet *exsorbebo.*

vs. 7. Hinc ad finem scenae troch. tetr. catal. praeter vs. 23. et 44. acatall. et vs. 63. iamb. dim.

vs. 8. a m. pr. *morem herere.*

'Id ego excrucior. *Ep.* Di hércle omnes me ádiuvant, augént, amant.
'Ipsi hi quídem mihi dánt viam, quo pácto ab se argentum aúferam.
'Age nunc iam, orna te, 'Epidice, et pallíolum in collum cóniice!
'Itaque adsimu*la*; quási per urbem tótam hominem quaesíveris.
'Age, si quid agis. Dí immortales! útinam conveniám domi
Périphanem, per ómnem urbem quem súm defessus quaerere;
Pér medicinas, pér tonstrinas, ín gymnasio atque ín foro;
Pér myropolia ét lanienas, círcumque argentárias;
Rógitando sum raúcus factus; paéne in cursu cóncidi.
P. 'Epidice! *Ep.* Epidicúm quis est, qui révocat? *P.* Ego sum, Périphanes.
A. 'Et ego Apoecidés sum. *Ep.* Et ego quidem sum 'Epidicus; sed here, óptuma
Vós video opportúnitate ambo ádvenire. *P.* Quíd rei est?
Ep. Máne; sine respirém, quaeso. *P.* Imo ádquiesce. *Ep.* Animó male'st.
Récipiam anhelitúm. *A.* Clementer réquiesce. *Ep.* Animum advórtite.
'A legione omnés remissi súnt domum Thebís. *A.* Sic factum'st,
'*Epidice?* Ep. Ego ita fáctum esse díco. *P.* Scin' tu istúc? Ep. Scio.
P. Qui

vs. 9. *excruor.*
vs. 12. *adsimulato. adsimula* ego scripsi; id et versus et ratio postulare videbatur; nam praecedit *orna*, sequitur pf. *quaesiveris.* Vulgo, *Ita adsim.*
vs. 18. Pro *Periph.* habet *Apoec.*
vs. 20. *amb. adven. opport.*
vs. 23. *scit factum*, perpetuo errore. Vulgo, *Quis hoc Scit factum.* Classen mavult omittere *est*, ut *factum* syllabam ultimam versui sq. tribuat, nec catalectorum ordo turbetur.
vs. 24. om. cum lacuna. Ut ego, iam Bothe in nott. scripsit. Vulgo, *esse factum.*

P. Quí tu scis? *Ep.* Quia ego íre vidi mílites plenís viis.
'Arma referunt, ét iumenta dúcunt. *P.* Nimis factúm bene!
Ep. Túm captivorúm quid ducunt sécum! pueros, vírginès,
Bínos, ternos, álius quinque; fít concursus pér vias.
Fílios suos quísque visunt. *P.* Hércle rem gestám bene!
Ep. Túm meretricum númerus tantus, quántum in urbe omní fuit.
'Obviam ornatae óccurrebant, suís quaequae- amatóribus.
Eós captabant. 'Id adeo qui máxime animum advórterim?
Pléraeque eae sub véstimentis sécum habebant rétia.
Quom ád portam venio, átque ego illam illic vídeo praestolárier.
'Et eum ea tibícinae ibant quátuor. *P.* Quicum -, 'Epidice?
Ep. Cum ílla, quam tuus gnátus annos múltos deamat, déperit.
'Ubi fidemque, rémque, seque, téque properat pérdere.
'Ea praestolabátur illum apud pórtam. *P.* Viden venéficam!
Ep. Séd vestita, auráta, *ornata,* ut lépide, ut concinne, út nove!
P. Quíd erat induta? án regillam indúculam? an mendículam?
'Impluviatam? ut ístaec *faciunt* véstimentis nómina?
Ep. 'Utin' impluvium induta *fuerit? P.* Quíd istuc est mirábile?
Quási non fundis éxornatae múltae incedant pér vias.
'At tributus quum ímperatus ést, negant pendí potesse;
'Illis, quibus tribútus maior péndítur, pendí potest.

---

vs. 28. *quisque* (non *quinque.*)
vs. 31. *quaeque.*
vs. 32. *id adeo* etc. sic cum interrogatione elatum nihil habet difficultatis; itaque nulla videtur causa, cur, quod ante putaveram, *id* mutetur in *audi;* ut vs. 103: *Scibis, audi.*
vs. 34. *portam* et hic et vs. 38. codd. Sed I, 1, 12. *ut apud portum.* Quapropter hic quoque utroque loco *portum* reducendum puto, quod vulgo faciunt. Nam quamquam non portu Thebis Athenas venitur, tamen solemnis eius in comicis mentio. *Atque* in re inducenda gravi, cf. Gell. X, 29; hic in apodosi est.
vs. 36. *deamabat* a m. pr.
vs. 38. Rectius fortasse foret: *Praéstolabatúr ea- illum.* et in fine *vide.*
vs. 39. *ornamenta.*
vs. 41. *facimus. faciunt* Nonius s. v. *impluviatus color.*
vs. 42. *erit.* Pall. *erat,* unde vulgo *eat.* Ego sic rescripsi . *mirabile est.*

Quíd istae? quae vestí quotannis nómina inveniúnt nova?
Túnicam rallam, túnicam spissam, línteolum caesítium,
ʻIndusiatam, pátagiatam, cáltulam, crocótulam,
Súbparum, aut subminiam, ricam, básilicum, aut exóticum,
Cúmatile, aut plumátile, cerinum aút gerri'num gérraé *merae!*
Ca'ní quoque etiam adémptum nomen. *Ep.* Quí? *P.* Vocant Lacónicum.
Ep. Haéc vocabula aúctiones súbigunt ut faciánt viri.
P. Quín tu, ut occoepísti, loquere. *Ep.* Occoépere aliae múlieres
Duaé post me sic fábulari intér *se;* ego abscessí solens
Paúllum ab illis; dissímulabam me harúm sermoni operám dare;
Néc satis exaudi'ébam nec sermónis fallebár tamen,
Quaé loquerentur. *P.* ʻId lubido est scíre. *Ep.* Ibi illarum áltera
Díxit illi, quícum ipsa ibat — *P.* Quíd? *Ep.* Tace ergo, ut aúdias.
Póstquam illam sunt cónspicátae, quám tuus gnatus déperit,
Quám facile et quam fórtunate evénit illi obsecro múlieri,
Líberare quăm vóit amator. — Quísnam is est, inquit áltera.
ʻIlli ibi nominát Stratippoclém, Periphanae fílium.
P. Perii Hércle! quid ego ex te áudio!
Ep. Hóc quod actum. ʻEgomet post ubi íllas audiví loqui,
Coépi rursum vórsum ad illas paúxillatim accédere,
Quási retruderét hominum me vís invitum. *P.* Intélligo.
Ep. ʻIbi illa interrogávit illam: Quí scis? quis dixít tibi?
Quín hodie adlataé tabellae súnt ad eam a Stratíppocle, eum
ʻArgentum sumpsísse apud Thebas áb danista fénore;

---

vs. 47. *raliam.*
vs. 48. *crutulam* (non *crocotulam.*)
vs. 50. *gaerinum* (non *cerinum*) *ger. maxumae. merae,* cum versus non staret, et verborum lusus huc ipse duceret, reposui. Vulgo, *cerinum aut melinum, gerrae m. melinum* apud Nonium est.
vs. 54. *sese.* vs. 64. *ibi.*
vs. 68. *sunt tabellae.*

'Id paratum et sése ob eam rem id férre. *P.* Cedo, ego óccidi?
Ep. Haéc sic aiebát, sic audivísse abs *ea* se ab epístola.
P. Quíd ego faciam núnc? consilium a te éxpetesso, Apoécides.
A. Réperiamus áliquid cállidi, cónducibilis cónsili.
Nam ílle quidem aut iam hic áderit, credo hercle, áut iam adest. *Ep.* Si aequóm siet,
Mé plus sapere, quám vos, dederim vóbis consiliúm catum,
Quód laudetis, út ego opinor, utérque. *P.* Ergo ubi id est, 'Epidice?
Ep. 'Atque ad eam rem cónducibile. *A.* Quíd istuc dubitas dícere?
Ep. Vós priores ésse oportet, nós posterius dícere,
Quí plus sapitis. *A.* 'Eia vero, age, díc. *Ep.* At deridébitis.
A. Nón edepol faciémus. *Ep.* Imo, sí placebit, útitor,
Cónsilium, si nón placebit, réperitote réctius.
Míhi istuc nec seritúr nec metitur; nísi ea, quae tu vís, volo.
P. Grátiam habeo; fác participes nós tuae sapiéntiae.
Ep. Cóntinuo arbitrétur uxor tuó gnato, atque ut fídicinam
'Illam, quam is volt líberare, quae íllum corrumpít tibi,
'Ulciscare, atque íta curetur, úsque ad mortem ut sérviat.
A. Fíeri oportet. *P.* Fácere cupio quídvis, dum id fiát modo. *Ep.* Hem!
Núnc occasió est faciundi, priúsquam in urbem advénerit,
Sícut cras hic áderit; hodie nón venit. *P.* Qui scís? *Ep.* Scio.
Quía mihi alius díxit, qui illinc vénit, mane hic ádfore;
P. Quín tu eloquere! quíd faciemus? *Ep.* Síc faciundum cénseo.
Quási tu cupias líberare fídicinam animi grátia,
Quásique ames veheménter illam. *P.* Quam ád rem istuc refért? *Ep.* Rogas?
'Ut enim praestinés argento, priúsquam veniat fílius;
'Atque ut eam te in líbertatem dícas emere. *P.* Intélligo.

vs. 71. *se ab se ab ep. ab* (ante *ep.*) deinde a correctore mutatum in *atque*. Quod corrigendum putabam, *abs* coniungens, et post *e a* addens, quam insequens *ab* hauserat.

vs. 88. *advenit.* vs. 89. Vulgo, *non venerit.*

Ep. 'Ubi erit empta, ut áliquo ex urbe- ámoveas; nisi quíd tua
Sécus sententi'a est. *P.* 'Imo docte! *Ep.* Quíd tu – autem Apoécides?
A. Quíd ego iam? nisi té commentum nímis astute intélligo.
Ep. Iám- igitur- amóta- ei erit ómnis consultátio
Núptiarum, né gravetur quód velis. *A.* Vivé sapis!
'Et placet. *Ep.* Tum tu ígitur calide quídquid acturús's age!
P. Rem hércle loquere. *Ep.* Et répperi, haec te quí- abscedat súspicio.
P. Síne me scire. *Ep.* Scíbis; audi. *A.* Sápit hic pleno péctore.
Ep. 'Opus est homine, qui íllo argentum déferat pro fídicina.
Nám *te íllo* — non aéque opus facto'st. *P.* Quíd iam? *Ep.* Ne te cénseat
Fíli causa fácere. *P.* Docte. *Ep.* Quo íllum ab illa próhibeas;
Né qua- ob eam súspicionem dífficultas éveniat.
P. Quém- hominem inveniémus ad eam rem útilem? *Ep.* Hic erit óptumus.
Híc poterit cavére recte, iúra qui et legés tenet.
A. 'Epidice, habeas grátiam. Sed ego ístuc faciam sédulo.
Ep. 'Ego illum conveniam átque adducam huc ád te, quoia 'st fídicina,
'Atque argentum ego cum hóc feram. *P.* Quantí † potest minumo? *Ep.* 'Illane?
'Ad quadragintá fortasse eam pósse emi minumó minas.
Vérum si plus déderis, referam. Níhil in ea re cáptio 'st.

---

vs. 98. *Qui.*
vs. 99. Crebro hiatu alte meditabundi oratio haerens videtur depingi actione iuvanda.
vs. 102. Fort. *répperi, te qui hdec abscedat súsp.*
vs. 105. *te illo* Pal. 1, 2, 6. — V. C. ex interpolatione, ut ait Pareus, *telo. Nec.*
vs. 110. *Sed ego* etc. tribuitur Epidico. Recte videtur verba Apoecidi apposuisse Bothe; Epidico ut tribuatur vs. sq. *Ego illum* etc.
vs. 112. add. *emi;* ego omisi, versus causa, tanquam glossam.

'Atque id non decem óccupatum tíbi erit argentúm dies.
P. Quí dum? *Ep.* Quia enim múlierem alius íllam adolescens déperit,
Aúro opulentus, mágnus, miles Rhódius, raptor hóstium,
Glóriosus. Hic emet illam dé te et dabit aurúm. Iubeas!
Táce modo! Est lucrum híc tibi amplum. *P.* Deós quidem oro-. *Ep.* 'Impetra!
A. Quín tu is intro atque *huíc* argentum prómis? ego visam ád forum,
'Epidice; eo vení. *Ep.* Ne abitas, priúsquam ego ad te vénero!
A. 'Usque opperiar. *P.* Séquere tu intro! *Ep.* I, númera, nihil ego té moror.

Actus Secundus. Scena Tertia.

Epidicus.

Nullum ésse opinor égo agrum in agro 'Attico
Aequé feracem, quam híc est noster Périphanes;
Quin éx occluso atque óbsignato armário
Decútio argentum tántum, quantum míhi lubet.
Quod pól ego metuo, sí senex rescíverit,
Ne ulmós parasitos fáciat, quae usque attóndeant.
Sed me úna turbat rés ratioque: Apoécidi
Quam osténdam fidicinam áliquam, conductítiam,
Atque íd quóque habeo! Máne me iussít senex

---

vs. 115. *decet* (non *decem.*)
vs. 116. *Quid dum* a m. pr. — *illam alius.*
vs. 118. *Jubeas;* idemque omnes Pall. et ed. princ. Superscripsit recens manus V. Codici: *lubens.* Sed istud ἠθικώτερον; ut vers. sq. *Impetra,* quod itidem omnes tuentur.
vs. 120. *hic; huic* omnes Pall.
vs. 121. Vulgo, *abeas.*

Versus sunt trim. iamb.
vs. 1. *oppinor.*
vs. 4. Vulgo, *argenti.*
vs. 8. Vulgo, *aliqua.*

Condúcere aliquam fídicinam sibi húc dómum,
Dum rém divinam fáceret, cantarét sibí.
Ea cónducetur, átque ei praemonstrábitur,
Quo pácto fiat súbdola advorsús senem.
Ibo íntro, argentum accípiam ab damnosó sene.

Actus Tertius. Scena Prima.

Stratippocles. Chaeribulus.

St. 'Expectando éxedor míser atque exénteror,
Quómodo mih'i 'Epídici dícta blanda éveniant.
Nímis diu máceror; sítne quid, nécne sit,
Scíre cupio.
Ch. Per íllam tibí copiám copiám tibi
Paráre aliam licét.
Scivi équidem in principio íllico nullam † ésse in illo cópiam.
St. 'Interii- hércle ego!
Ch. Absúrde facís, qui angas te ánimi.
St. Si hércle ego illúm semel preh'éndero!
Ch. *Num* irrídere nós illum inúltum servóm sinam hominem?
St. Quíd illum facere vís, qui tibi, quoi dívitiae do'mi máxumae sunt,
'Is habes nummum núllum, nec sodáli tuo in te cópia est?

---

vs. 1—4. cretici tetram. cum cret. monom. Ita etiam Bothe disposuit.
vs. 4. *ne quit* — *nescit (nec ne scit.)*
vs. 5. bacch. tetr.
vs. 6. iamb. dim. brachyc.
vs. 7. iamb. tetr. add. *tibi*, quod versus abesse iubet.
vs. 8. cret. dim.
vs. 9. bacch. trim.
vs. 10. cret. trim.
vs. 11. bacch. tetr. hyperc. *Numquam;* ego *num* rescripsi et versum Chaeribulo dedi, quum haec omnia ad verba: *copia est* soleant Stratippocli tribui. Sed illud: *Quid illum facere vis* aperte est alium increpantis, non se corrigentis. Et non iniuria irascitur homini nullius pretii, tum in alium feroci. — *inultimum* (*inultum.*)
vs. 12. troch. tetram. *ferte; facere* Pal. 1.
vs. 13. troch. tetr. catal. *Is nummum nul. habes.* Praeivit Bothe.

Ch. Si hercle hábeam, polliceár lubens, verum áliquid, aliqua, aliquó modo,
Alicúnde ab áliqui, aliquá tibi spes 'st mécum fore fortúnam.
St. Vaé tibi muricídae, homo! *Ch.* Qui tibí lubet mihi mále loqui?
St. Quíppe tu mih'i aliquid, áliquo modo, alicúnde, ab aliquibus bláttís, quod nusquam est.
Néque ego id inmítto in aurís meas, néc mihi
Plús adiuménti ades, quam ílle, qui núnquam etiam
Nátus est.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

EPIDICUS. STRATIPPOCLES. CHAERIBULUS.

Ep. Fecísti iam offici'úm tu tuum, me meúm nunc facere opórtet
Per hánc curam qui'etó tibi licet ésse. Hoc quidem iam périit.
Ni quíd tibi hinc in spém referas. Hoc óppido potítum'st.
Credé modo tu mihí; sic ego ago; síc egere nóstri.
Pro di ímmortales, mih'i húnc diem dedístis luculéntum!
Ut fácilem, ut impetrábilem! Sed ego hínc migrare césso,
Ut ímportem in colóniam hunc nunc aúspicio cõnmeátum.
Mihi césso, quom sto. Séd quid hoc? ante aédis duos sodális
Herum et Chaéribulum cónspicor. Quid híc agitis? Accipe hóc, sis.

---

vs. 14. iamb. tetram.
vs. 15. iamb. tetr. catal. *fore mecum.*
vs. 16. troch. tetr. catal. V. C. *muricide*, *muricidae* ed. princ.
vs. 17. troch. tetram. *latis* in marg. *latras*. Corripi posse in *blattis* ultimam, non nimis audacter statuere videor. Nam quartam coniugationem sequi hoc verbum, non nimis certa res est.
vs. 18 et 19. cret. tetram. cum cretico monom. versu 20.
vs. 1. malim omittere *iam*, ut versus sic eat: *Fecísti officium tú tuum* etc. Ed. princeps omittit *tu*.
vs. 3. *pollitum*.
vs. 5. *loculentum*.
vs. 7. Pall. *hunc Hunc*. alteram vocem inducendam arbitror.

Ch. Quantum híc inest? *Ep.* Quantúm sat est, et plús satis; supérfit.
Decém minis plus áttuli, quam tú danistae débes.
Dum tíbi ego placeam atque óbsequar, meum térgum floccifácio.
Ch. Nam quíd ita? *Ep.* Quia tuúm patrém faciám perenticídam.
Ch. Quid istúc est verbi? *Ep.* Níh'il moror vetera ét volgata vérba.
Perátim ductare? 'Atqui ego follítim ductitábo.
Nam léno omne argentum ábstulit pro fídicina, (ego resolvi,
Maníbus his dinumerávi,) patĕr suam gnátam quam esse crédit;
Nunc íterum ut fallatúr pater, tibique aúxilium apparétur,
Invéni *iam.* Ita suasí seni, atque hanc hábui oratiónem,
Ut, quúm redisses, né tibi eius cópia esset, — *St.* Eúge!
Eam á danista praéstinarem. Ch. Téneo. *Ep.* Nunc auctórem

---

vs. 13. *quia ego tuum* a m. sec. Habent Pall.; itaque fortasse addendum.

vs. 15. *peratum — at — follitum.* Ex mea interpunctione infinitivus *ductare* (vulgo mutant in: *ductate*) verissimus est. Superbiens se corrigit; peratim ductare me aiebam? *atqui* follitim ductitabo. *atqui* pro *at* erat recipiendum, vel quia syllaba versui deerat. Ceterum hinc etiam magis apparet, vs. 13. non esse sanum. Nam qui *perenticida* est, cui pera praeciditur? Puto scribendum: *quia tui patris faciam perenticidam,* i. e. eum, qui patris peram praecidat; ut *paricida civium* est, qui interimit cives.

vs. 19. *inveniam.* Vulgo, *inveni viam.*

vs. 21. *Ea iam domi'st pro illa;* sed *pro illa* a m. sec. Cett. codd. et ed. princeps *pelia.* Ea falsa esse liquet. Nam virgo in scena sequente demum adducitur, vs. 15. Etiam quid verbis vitiosis nobis ereptum sit, non dubium est. Nam auctorem *ad hanc rem* ait sibi datum Apoecidem. Is autem erat auctor *emptionis* datus. Itaque Epidicus *hanc habuit orationem* apud Periphanem, *ut sibi,* ne Stratippocli eius copia fieret, *virginis emendae potestas daretur.* Erat ergo oratio versu 20, a part. *ut* incipiens, et per Stratippoclem interpellata, in hanc sententiam continuanda. Id in prima emendationis parte codicum vestigia arte premens, ut vides, feci. Sin *praestinarem* a vitioso *pro illa* vel *pelia* longius recedit, commendatur tamen eo, quod eodem verbo Epidicus usus est scena superiore vs. 94: *Ut enim praestines argento.* Ceterum si quis hoc mihi obiiciat, quod Epidicus seni suaserit, non ut a danista, (quem non nove-

Dedit mihi ad hanc rem Apoécidem. Is apúd forum manét me,
Quasí quae *ematur*, cáveat. *St.* Haud male! *Ep.* Iam ípse cautor cáptu'st.
Ipse ín meo collo tuús pater crumínam conlocávit.
Is adórnat, adveniéns domi extemplo út maritus fías.
St. Unó persuadebít modo, si illám, quae adducta'st mécum,
Mihi adémpsit Orcus. *Ep.* Núnc ego hanc astútiam institui..
Devéniam ad lenoném domum egomet sólus; eum ego docébo,
Si qui ád eum adveniant, út sibi datum ésse argentum dícat,
Pro fídicina argentí minas se habére quinquagínta.
Quippe égo qui nudius tértius meis mánibus dinumerávi
Pro illá tua amíca, quám pater suam fíliam esse rétur.
Ibi léno sceleratúm caput suum imprúdens adligábit,
Quasi pro ílla argentum accéperit, quae técum adducta núnc est.
Ch. Versútior es, quám rota figuláris. *Ep.* Iam ego parábo
Aliquám dolosam fídicinam, nummó conducta quaé sit,
Quae se émptam simulet, quaé senes duo dócte ludificétur
Eam dúcet simul Apoécides ad tuúm patrem. *St.* Ut paráté!

---

rat,) sed ut a lenone virginem emeret, non magnopere movear. Nam quum omnem quam molitus est machinam nunc brevitatis causa silentio tramittat, ne poterat quidem ullius nisi danistae mentionem facere, quem tam unum noverant adolescentes, quam senes unum lenonem. — Bothe similiter ratiocinatus (quod ad praecedentem orationem attinet,) hunc versum ita scribit: *Etiam tuam emundam pellicem esse.* Denique hanc electionem propono, ut aut has meas rationes probes, aut statuas, excidisse post vs. 20. vel versum unum, vel plures, in quibus doceret Epidicus se eius amicae, quae pro filia iam domi erat, nunc demum emundae causa senem emunxisse pecunia. Sic lectio V. C. *Ea,* vel *quae iam domi'st pro illa* vera erit. Atque hoc ita esse, suadet vs. 28. et sqq.

vs. 22. Fort. *Apoeciden.*

vs. 23. *amaret.* Ego ita rescripsi. Compendia *ret* et *tur* saepe confusa. Vulgo, *quoi emeret.*

vs. 27. aliquid versui in fine deest. Bothe: *institivi.* Ego adiiciam aliquod adiectivum, velut *altam;* sed quod verum videretur, non inveni.

vs. 29. *Si quid — adveniam.*

vs. 31. Bothe probabiliter: *Quippe ego quoi.*

Ep. Eam pérmeditatam meis dolis, astútiisque onústam
Mittám. Sed nimis longúm loquor; diu me éstis demoráti.
Haec scítis iam ut futúra sint. Abeó. *St.* Bene ambuláto!
Ch. Nimis dóctus ille est ád male faciéndum. *St.* Me equidem cérto
Servávit consiliís suis. *Ch.* Abeámus hinc intro ád me.
St. Atque áliquanto lubéntius, quam abs té sum egressus, íntus
Virtúte atque auspicio 'Epidici cum praéda in castra rédeo.

Actus Quartus. Scena Prima. [v. III, 3.]

Periphanes. Apoecides.

P. Non óris causa módo homines aequóm fuit,
Sibi habére speculum, ubi ós contemplarént suum;
Sed ĭd, quí perspicere póssent cor sapiéntiae.
Igitúr perspicere ut póssint cordis cópiam.
Ubi id ínspexissent, cógitarent póstea,
Vitam út vixissent ólim in adulescéntia.
Vel quási egomet qui'dem fíli causa coéperam
Ego me éxcruciare- ánimi, quasi quid fílius
Meus déliquisset me érga; aut quasi non plúrimum
Malefácta mea essent sólida in adulescéntia.
Profécto delirámus interdúm senes!
Fuit cónducibile hoc quídem mea senténtia.
Sed méus sodalis ít cum praeda Apoécides.
Veníre salvom mércatorem gaúdeo!

---

vs. 42. *met equidem.*
vs. 43. *servabit.*

Quia scena vacuefacta fuit, novus hic erat actus instituendus.
vs. 4. Cum hoc versu, quem (alii praecedentem) multi spurium putaverunt, copulandus videtur, qui nunc duodecimus est, ut ne uterque abundet; ita:
Igitur perspicere ut possint cordis copiam,
Fuit conducibile hoc quidem mea sententia.
Acidalius contra versum quartum ad vs. 12. volebat detrudere.
vs. 7. *quidum.*
vs. 9. *Melius — med erga.*

Quid fit? *A.* Di deaeque te ádiuvant. *P.* Omén placet.
A. Quoi- hómini- omnes súppetunt res prósperc?
Sed tu hánc intro iubes abduci-? *P.* Heús, foras
Exíte huc aliquis! Dúce istam intro múlierem.
Atque aúdin' *Serv.* Quid vis? *P.* Cáve, siris cum filia
Mea cópulari hanc, néque conspicere. Iám tenes?
In aédículam istam sórsum concludí volo.
Divórtunt mores vírginis longe ác lupae.
A. Docte ét sapienter dícis *. Num nimís potest
Pudícitiam *quis* suaé servare fíliae?
Edepól nae- istam témpore- gnató tuo
Sumus praémercati. *P.* Quíd iam? *A.* Quia dixít mihi
Iam dúdum se alius *tuúm* vidisse hic fílium.
P. Hanc édepol rem apparábat. *A.* Plane hercle hóc quidem'st
Nae tú- habes servom gráphicum et quantivís preti!
P. Non cáru'st auro contra. *A.* Ut ille fídicinam
Fecít nescíré *prórsus se* esse emptám tibi!
Ita rídibundam atque hílaram huc adduxít simul.
P. Mirum hóc quod potuit fíeri. *A.* Te pro fílio
Factúrum dixit rem ésse divinám domi,

---

vs. 15. *fit.* — post *adiuvant*, add. *res propere* ex vs. sq., ubi similiter peccatur *propere.*

vs. 16. Vulgo, *Quoi omini.*

vs. 17. *lubens.* Pall. et ed. princ. *iubes*, quod pro vulgato *iubeas*, cuius auctorem non noveram, sign. interrogationis apponens retinui.

vs. 23. post *dicis* lacuna unius et alterius verbi.

vs. 24. *quisquam.* Iam Bentl. ad Terent. Andr. I, 5, 53, rescripsit *quis. num* vs. 23. est ex V. C., Vulgo, *non.*

vs. 27. om. habent omnes Pall.

vs. 30. *Non caru'st auro contra* lepide Periphani tribuitur in Ed. princ. Nec dubito, quin Periphanis verba sint, quum herum unice deceat, pretio nullo venalem dicere servum. Itaque dedi Periphani.

vs. 31. om. cum Pall. et ed. princ. Est in Langianis, haud dubie ab interpolatore.

vs. 33. *quod* etiam Pal. 2.; cett. *qui.* Quum V. C. *d* saepius perverse addat, fortasse hic quoque *quo* seu *qui* reponendum erat; inter libros media est ed. princeps: *quidem.*

Quia Thébis salvos rédierit. *P.* Recte instituit.
A. Imo ípsus illi dixit, conductam ésse eam,
Quae hic ádministraret ád rem divinám tibi.
Ego íllic me autem síc adsimulabám, quasi
Stolidúm, quom bardum mé faciebam. *P.* Imo íta decet.
A. Res mágna amici ápúd forum agitur; eúm volo
Ire ádvocatus. *P.* 'At quaeso, ubi erit ótium,
Revórtere ad me extémplo. *A.* Continuo híc ero.
P. Nihil hómini amico' st ópportuno amícius.
Sine túo labore, quód velis, actúm'st tamen.
Ego si ádlegassem áliquem ad hoc negótium,
Minus hóminem † doctum, mínusque ad hanc rem cállidum,
Os súblitum esset, ítaque me albis déntibus
Meus dérideret fílius meritíssimo.
Atque haéc stultitia est, me ílli vitio vórtere,
Egomét quod factitávi in adulescéntia.
* Quom mílitabam, púgnis memorandís meis
Erádicabam hominum aúris, quando occoéperam.
Sed híc quis est, quem huc ádvenientem cónspicor,
Suám qui undantem chlámydem quassandó facit?

---

vs. 35. et 2 sqq. in fine paginae adiiciuntur. Absunt a Pall. Etiam ab ed. princ. Hinc quam hi libri inter se conspirent, aperitur; simulque poterit ex ea ed. suppleri, quod Pareus neglexit. Id de personarum distinctione non raro egregia dictum velim.

vs. 37. add. post, *divinam tibi: factúrum hoc dicit rem ésse divinám tibi domi.* vides glossam hanc: *hoc dicit: facturam tibi domi* etc. esse in versum redactam; ut supra I, 1, 59: *voltum tuum videor videri;* et infra IV, 2, 56. *Frugi es, homo sc.* (scilicet) unde, *homo es.* et V, 1, 35: *et istic frater alia matre, uno patre.* cui glossator adscripserat *tuus est int.* (intellige), unde lectio prava: frater *tuus est in* alia matre etc.

vs. 39. *stat decet.*

vs. 40. *ei volo* Pall.

vs. 43. *amicitius.*

vs. 45. *adligassem.*

vs. 46. add. *quam.*

vs. 49. *stultia.*

vs. 51. Ante *Quom* haec lacuna * *. Hinc patefit, cur hi versus minus cum praecedentibus cohaereant. Simulque non esse eos hinc in scen. sequentem, quod multi voluerunt, movendos.

Actus Quartus. Scena Secunda.

Miles. Periphanes. Fidicina.

M. Cave praéterbitas úllas aedis, quín roges,
Senéx ubi habitat Périphanes * *Plothénius.*
Incértus tuum cave ád me rettuleris pedem.
P. Aduléscens, si istunc hóminem, quem tu quaéritas,
Tibi cómmonstrasso, ecquam ábs te inibo grátiam?
M. Virtúte belli armátus promerui, út mihi
Omnis mortalis déceat agere grátias.
P. Non répperisti, aduléscens, tranquillúm locum,
Ubi túas virtutes éxplices, ut póstulas.
Nam strénuiori détereor si praédicat
Suas púgnas, de illius † óre fiunt sórdidae.
Sed istúm, quem quaeris Périphanem Plothenium,
Ego súm, si quid vis. *M.* Némpe quem in adulescéntia
Memoránt apud reges ármis, arte duéllica
Divítias magnas índeptum? *P.* Immo, si áudias
Meas púgnas, fugias mánibus demissis domum.
M. Pol égo magis unum quaéro, meas quoi praédicem,
Quum illúm, qui memoret suás mihi. *P.* Hic non ést locus,
Quin tu álium quaeras, quoi centones *sárcias.*
M. Animum ádvorte, ut quod ego ád te venio intélligas.
Meam amícam audivi te ésse mercatum. *P.* 'Attatae!
Nunc démum scio ego hunc qui sit; quem dudum 'Epidicus
* Mihi praédicavit militem. Adulescéns, ita est,

---

vs. 2. *Periphanes . . . Platenius.* Fortasse hic et alibi spatium potius haerentem librarium monstrat, quam omissionem vocis. Nam deesse nihil videtur. *Platenium* autem in *Plothenium* Sam. Petitus mutavit Miscel. II, 9. ex Steph. Byz. Πλώθεια, δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς. Ὁ δημότης, Πλωθειεὺς καὶ Πλωθεύς.

vs. 11. add. *illae.*

vs. 12. *Platenius.*

vs. 15. *indēptum.*

vs. 16. *dimissis.*

vs. 19. *fartias* omnes.

vs. 23. . . . . . *mihi.* Etiam hic, quid deesse possit non video, nisi integer versus desit, velut: *quem dudum 'Epidicus Hanc déperire et ésse empturum fidicinam Mihi praédicavit.*

Ut dicis; emi. *M.* Vóle te verbis paúculis,
Si tibi molestum nón est. *P.* Non edepól. *M.* Scio,
Moléstum non est. *P.* Nisi dicis, quid velis? *
M. Mihi illam ut tramittás, argentum- áccipias.
P. Habeás. *M.* Nam quid ego apúd te parcam próloqui?
Ego illam hodie volo fácere libertám meam,
Mihi cóncubina quaé sit. *P.* Te absolvám brevi.
Argénti quinquaginta mih'i illa empta ést minis,
Si séxaginta mihi denumerantúr minae,
Tuas póssidebit fáxo mulier férias.
Atque ita, profecto ut eam éx hoc exonerés agro.
M. Estne émpta *haec mih'i?* *P.* 'Istis legibus habeás licet.
M. Conciliav'isti pulcre. *P.* Heús! Foras edúcite
Quam intróduxistis fidicinam, atque etiám fides
Ei quae áccessere, tibi áddam dono grátiis.
Age, áccipe hanc sis. *M.* Quae intemperiae té tenent?
Quas tú mihi tenebras trúdis? quin tu fidicinam

---

vs. 25. Retinui personarum dispositionem, ut codd. habent. Decet enim istum Gloriosum ea confidentia: *Scio*, *molestum non est.* Cui mirabundus senex: *Nisi dicis?* etc. Ceterum aut putabis *nisi* hic produci, aut interpones aliquid, velut *tu*. Post *velis* lacuna est.

vs. 33. Sententia obscura. Acidal. *post sedebit,* alii aliter. Ego corrigam: *Tuas praesidebit ferias; ferias* interpretatus ipsa, quibus haec fábula agebatur, Dionysia. Nam cum se eam liberaturum miles dixisset, hic irridens, faxo, inquit, tuis sacris praesit; nam non est dubium, quin τῇ βασιλίδι se probatura sit. Hinc corrigetur etiam

vs. 34. Nam quo istud *profecto* pertineat, vix dixeris. Tu vero corrigas: *Atque ita, profesto ut eam ex hoc exoneres agro. Profestum* agrum suum dicit, quasi eam sanctitatem mulieris non deceat. Nam *profestum,* ait Festus, *est facere*, *tanquam, profanum facere, i. e. quod eo die, qui dies feriarum non est*, *facere. vel, ut quidam dixerunt, pro eo facere, velut feriae non sint, aut id facere, quod feriis fieri non liceat.* Non est, quod moneam, *exonerare* in hac irrisione veram aperire animi sententiam. Ceterum hanc emendationem, *profesto*, debemus sagacitati Classenii.

vs. 35. *tibi* haec. *mihi haec* Pall.

vs. 39. *te* om. habent Pall. 5.

vs. 40. *trudis* ex rasura; quasi antea fuerit, *cudis* . at valde obscure. *trudis* omnes Pall. *tenebras* puto dici ipsam fidicinam non honestissimae formae.

Prodúci intus iubés? *P.* Haec ergo'st fidicina.
Hic ália nulla est. *M.* Nón mihi nugari potes.
Quin tu hic producis fidicinam Acropolistidem?
P. Haec inquam est. *M.* Non haec inquam est. Non novisse me
Meam rére amicam pósse? *P.* Hanc inquam filius
Meus déperibat fidicinam. *M.* Haec non ést ea.
P. Quid, nón est? *M.* Non est. *P.* 'Unde haec igitur géntium est?
Equidem hércle argentum pro hác dedi. *M.* Stulté datum
Reor, ét peccatum lárgiter-. *P.* Imo haéc ea est.
Nam sérvom misi *egomét*, qui sectari solet
Meum gnátum-, ipse hanc émit *articuló*, *modo*. *M.* Hem.
Istic homo te articulátim concidit, senex,
Tuús servos. *P.* Quid cóncidit? *M.* *Sic súspicio est.
Nam pró fidicina *illác* haec supposita 'st tibi;
Senéx, tibi os est súblitum plane ét probe.
P. Ego illám requiram iam, úbi ubi est. Bellatór, vale!
Eúge frugi, Epidice, frugi es. †
Qui me émunxisti, múcidum, minimi preti.
Mercátus te hodie 'st dé lenone Apoécides?

---

vs. 50. *misi* . . . . . hanc lacunam pronomine *egomet* explevi. Nam videbatur id bonus senex urgere, suo ipsius curatu hanc emptam esse, et a servo ipso, quem ad id misisset. Etiam in Pall. et in ed. princ. lacuna est.

vs. 51. Iterum post *emit* spatium voci relictum; (in ed. princ. ante *emit*, ter tantum); *meo articulo* videtur Pius coniecisse, egregie. Nam militis, *articulatim te concidit* aperte alludit ad hanc vocem; deinde Guilielmus *in eo articulo;* ego, quod vides, reposui, ut quod magis etiam esset instantis. Vulgo, *nam servom misi, qui sectari solet meum Gnatum . ipse hanc emit fidicinam. M. Hem istic homo etc.*

vs. 53. Post *Mi.* (militem) rasura est, quasi *mihi* fuisset; quod fortasse addendum.

vs. 54. om. *illac*, quod dudum adpositum a VV. DD.

vs. 55. *sulatum* vel *sulitum*.

vs. 56. *Euge frugi Epidice frugi es homo's.* Vulgo ante *homo's* est *pugnavisti,* quod ipsum in ullo Ms. esse negat Pareus. Itaque ego istud *homo es*, glossam ad scriptam ad *frugi es* ratus, induxi . nam quid in eo sanae sententiae? Sic nactus sum dimetrum trochaicum, qui graphice post dimissum bellatorem senis pudorem et iram depingere videbatur.

Ehodum! *F.* ’Istunc hominem núnquam audivi ante húnc diem.
Neque mé quidem emere quísquam ulla pecúnia
Potuit; plus iam sum libera- quinquénnium.
P. Quid tibi negoti ’st meaé domi igitur? *F.* Aúdies.
Condúcta veni, ut fidibus cantarém seni,
Dum rém divinam fáceret. *P.* Fateor, me ómnium
Hominum ésse Athenis ’Atticis minumí preti.
Sed tú, novistin’ fidicinam Acropolistidem?
F. Tam fácile, quam me. *P.* Ubi hábitat? *F.* Postquam *libera* est,
Ubi hábitet dum, incertó scio. *P.* Eho, *ain*, *liberam?*
Poteróne audire, quís eam liberáverit?
Volo scire; si scis! *F.* ’Id quod audivi, aúdies.
Stratippoclem *audivi* Periphani filium
Abséntem curavisse, ut fieret libera.
P. Perii hércle, si istaec véra sunt. *Planissume
Meum exénteravit ’Epidicus marsúpium.
F. Haec sic audivi. Núnquid me vis céterum?
P. Maló cruciatu ut péreas, atque abeás cito!
F. Fidés non reddis? *P.* Néque fides, neque tibias.
Properá igitur fugere hinc, si te di- amant. *F.* ’Abiero:
Flagitio cum maióre post reddés tamen.

P. Quid

---

vs. 60. Vulgo, *Ego istunc hominem.* Sed *ego* neque in V. C. neque in Pall.

vs. 68. *uberta. liberta* Pall. et ed. princ.

vs. 69. Post *Eho ain* (peccat: *eho ani*) lacuna satis capax. *liberam* addidi, quia ad istud *ain*, quando mirantis est, semper id additur, quod miramur. Deinde, *quis eam liberaverit* flagitabat, unde penderet. Ergo adscripsi: *Poterone audire;* eam ob causam, quia lente urens senem fidicina istud ipsum verbum maligne repetit: *quod audivi, audies; Strat. audivi; Haec sic audivi.*

vs. 72. *audivi* om. omnes libri. Dudum VV. DD. recte reposuerunt.

vs. 74. lacunula post *sunt.*

vs. 75. *exinter* & a m. pr.

P. Quid núnc? qui in tantis pósitus sum senténtiis?
Eúmne ego sinam impúne? Imo, etiamsi álterum
Tantúm perdundum'st, pérdam potius, quám sinam!
Me impúne irrisu, dépeculatú meis
Esse hábitum, sic data † vérba praesentí palam?
Atque mé minoris fácio, prae illo, qui ómnium
Legum átque iurum fíctor, conditór cluet!
Is étiam sese sápere memorat? málleum *
Sapiéntiorem *vídi excusso* mánubrio.

---

vs. 81. Nihil aliud videtur dicere, quam se, quid faciat, haerere. Sed quo istud *qui* pertineat, etiam si *tantis* pro *tot* uti velimus, nondum satis video. Nam possis dicere: Quid faciam, qui i. e. quum tot aerumnis premor? quia aerumnae causa sunt consilii incerti. Sed cui licebit dicere: Quid nunc faciam, qui i. e. quum quid faciam nescio? Quare, quin aliquid hic vitii lateat, non dubito. Simplicissimum fortasse fuerit scribere: *Quid nunc? In tantis positus sum sententiis!* Nam, quod quidam volunt, *sententias* posse explicari decreta publica, et *positum in sententiis* eum, cuius nomen eis sententiis praescriptum sit, nunquam inducar ut credam. Si quid audendum sit, corrigam: *Qui tot potitus sum sententiis;* et de causis multis, quibus se vicisse Periphanes glorietur, interpreter. Nam novimus istas *vespas* Athenienses.

vs. 82. *Eamne.*

vs. 84 et 85. *Me impune irrisum esse habitum depeculatum eis. Sic data esse verba praesenti palam*. *depeculatu meis* esse scribendum, vidit Is. Pontanus. Hinc consequens erat, ut scriberetur *irrisu.* Deinde cum alter versus pedibus abundaret, alter deficeret, istius divitiae huius erant inopiae tradendae; *depeculatu* autem loco moveri nequit; id porro *irrisu* non potest carere; erat ergo *esse habitum* sequenti tradendum, et illinc alterum *esse* inducendum.

vs. 86. *memineris.*

vs. 87. Vulgo *iurium*, contra Mss.

vs. 88. post *malleum* hiatus.

vs. 89. om. Debemus verba ante aegre desiderata Palimps. Ambros., cuius cupedias A. Maius parca manu apposuit. Interpretor: Malleum, cuius excusso manubrio usus nullus est, utiliorem tamen illo me videre memini.

Actus Quartus. Scena Tertia.

Philippa. Periphanes.

Ph. Si quid ést hominí misériarúm,
Quod míserescát miser éx animó †,
Id ego éxperiór.
Quoí multa unum ín locum cónfluunt,
Quaé meum péctus pulsánt simul.
Múltipléx aerúmna me éxércitum habét.
Paupértas, pavór territát mentem- ánimi.
Neque úbi meas spes cónlocem- habeo úsquam munitúm locum;
Ita gnáta mea hostiúm 'st potita. Néque nunc ubi sit, néscio.
P. Quis illaéc 'st muliér timidó pectóre peregre ádveniéns,
Quae- ípsa se miserátur?
Ph. In hís dictu'st habitáre locis mihi Périphanes.
P. Me nóminat- haec; crédo ego illi- hóspitio usus évenit.
Ph. Pérvelim mercédem dare, qui mónstret eum hominem, aut úbi habitet.

---

vs. 1 et 2. anap. tetr. quorum vs. 1 pede tertio tribrachyn habet. In vs. 2 *animo* male add. *est;* quod recte induxit Bothe.
vs. 3. anap. dim.
vs. 4 et 5. cret. trim. fortasse melius tres dimet. dixeris.
vs. 4. *in unum loc.* Ego transposui.
vs. 6. anap. tetr. *aerumnam exerc.* Fort. rectius *me aerumna* scribas.
vs. 7. bacch. tetr.
vs. 8 et 9. iamb tetr.
vs. 8. *conlocem spes.* transposui ego.
vs. 10. anap. senar.
vs. 11. iamb. dim. catal.
vs. 12. iamb. sen. *locis habit.* ego ordinem mutavi.
vs. 13. iamb. tetr. *invenit. evenit* Lamb. coniecit.
vs. 14 et 15. troch. tetr. catal. Vulgo, *eum mihi hominem.* Pareus non habet; sed cum in notis nihil moneat, et ceteri habeant, fortasse tantum negligentia excidit, et Plauto reddendum est. Cet. V. C. *pervelim.*

P. Nóscito ego hanc. Nam videor nescio ubi vidisse mé prius.
'Estne ea-? 'Annon est, quam ánimus retúr meus?
Ph. Di boni! visitavi *húnc edepol senem* ántidhac.
P. Cérto ea est *, quam in 'Epidauro paupérculam memini comprimere.
Ph. Pláne *hic ille* est, quí mihi in Epidauró primus pudícitiam
Pépulit. *P.* Quae meó compressu péperit filiám, domi
Quám nunc habeo. *Ph.* Quíd si adeam? *P.* Haud scio, án congrediar, si haéc ea est.
Ph. Sín est is homo, sicut anni múlti me dant *déviam*, —
P. Lónga dies meum incértat animum; sin ea est, incérto animo — Hanc
Cóngrediar astú! *Ph.* Muliebris ádhibenda mihi málitia † est.
P. Cómpellabo. *Ph.* Orátionis áciem contra cónferam *.
P. Sálva sis. *Ph.* Salútem accipio mihi ét meis. *P.* Quid céterum?
Ph. Sálvos sis. Quod crédidisti, réddo. *P.* Haud incusó fidem.
Nóvin' ego te? *Ph.* Si égo te novi-, ánimum inducam, ut nóveris.
P. 'Ubi te visitávi? *Ph.* Inique iniúrius. *P.* Quid iám? *Ph.* Quia

---

vs. 15. *me vid.*
vs. 16 et 17. eret. tetr.
vs. 17. inter *visitavi* et *antidhac* lacuna quindecim vel aliquot viginti literarum. Ego explevi.
post vs. 18. troch. tetr. acat, reliqui catal. Post *est* vs. 18. lacunula.
vs. 19. *hiei . . ne.*
vs. 20. *filiam quam domi* . transposui ego.
vs. 22. *me de ubi an dant.* Sic ego scribere ausus sum. Alii *dubiam danunt.*
vs. 23. *incerto animo* Omnes . vulgo *autumo. Hanc*, puto, rectius mutabimus in, *Hem!* Se ipse eripit dubiis et consilium capit adgrediundi.
vs. 24. *malitia nunc est.* Ego versus causa abieci *nunc.*
vs. 25. post *conferam* hiatus.

Túaĕ memoriae intérpretari me áequom censes. *P.* Cómmode
Fábulata es. *Ph.* Míra memoriá's! *P.* Hem-! Istuc réctius
Méministine? — *Ph.* Mémini. *P.* *Nempe* in 'Epidauro-? *Ph.* Ah, gúttuta
Péctus ardens mih'i ádspersisti! *P.* Vírgini paupérculae
Tuaéque matri mé levare paúpertatem. *Ph.* Tún' is es,
Quí per volúptatém tuam in me aerúmnam obsevisti gravem?
P. 'Ego sum. Salve! *Ph.* Sálva sum; quia te ésse salvom séntio.
P. Cédo manum! *Ph.* Accipe! aérumnosam et miseriarum cómpotem
Múlierem retinés! *P.* Quid est, quod dígitus te turbét tuus?
Ph. Fíliam, quam ex té suscepi — *P.* Quíd eam? *Ph.* Eductam pérdidi!
Hóstium'st potíta. *P.* Habe animum lénem et tranquillúm, face.

---

vs. 31. *memoras*. Ego correxi. Nimirum astute hominem adgreditur. Itaque quum eam salvere Periphanes iubeat, accipio, ait, mihi et *meis*, ut statim filiae eum commonefaciat. Eadem ambiguitas in eo: *reddo*, *quod credidisti*, et *animum inducam*, *ut noveris*. Quum autem nihil proficiat; apertius loquitur. Quare quum iste quaerat, *ubi te visitavi?*, illa paulum declinans, *inique iniurius* ait; pudicitiam sibi iniqua iniuria ereptam innuens. Quod quum alter non intelligat, aut se non intelligere fingat, orationem alio deflectit: Quia tuae memoriae a me succurri vis. Et quum iste stolide eam ob commodam orationem collaudet, ipsa irridens hominem eius *memoriam* praedicat; quo tandem iste calidior: Hem, tu *rectius memoria* ea tenes? Aperte ad id verbum alludens quod ego reduxi.

vs. 32. ad vs. stabiliendum *nempe* interposui, quod similitudo syllabarum memi*ni pe* (Periphanis compendium) nobis eripuerat.

vs. 35. *mea erumna*.

vs. 38. *duottus*, ut Taubm. ait, *duo itus;* recens manus superscripsit *voltus*. Quod plerumque recipiunt. Et est sane probabilis ea coniectura, praesertim si memineris, quotiens hic codex *d* geminare soleat. Et praecedit hic, *quod*. Sed tamen quum si *voltum* receperis, alia etiam corrigenda sint, (ego quidem scriberem, *quod voltus se turbet tuus*,) et quum in Pall. omnibus et in ed. princ. sit *digitus*, huic auctoritati cedendum putavi. Illa enim *oculos terendo*, ut apud Terentium est, lacrimas non quidem nunc eliciebat, sed praepediebat.

Do'mí meae eccam sálvam et sanam. Nám postquam audivi íllico
'Ex meo servó, illam ésse captivam, cóntinuo argentúm dedi,
'Ut emeretur. 'Ille eam rem adeo sóbrie ac frugáliter
'Adcuravit, út alias res ést impense- ímprobus.
Ph. Fác videam, si mé vis vivere. *P.* Eho! istinc, Canthará, iube
Húc Telestidém prodire, filiam ante aedís meas!
'Ut suam videat mátrem. *Ph.* Remigrat ánimus nunc demúm mihi.

Actus Quartus. Scena Quarta.

Acropolistis. Periphanes. Philippa.

A. Quíd est, pater, quod me éxcivisti ante aédis? *P.* Ut matrém tuam
Vídeas, adeas, ádvenienti dés salutem atque ósculum.
A. Quám meam matrem? *P.* Quae éxanimata exséquitur adspectúm tuum?
Ph. Quís istaec est, quam tu ósculum mihi férre iubes? *P.* Tua filia.
Ph. Haécine? *P.* Haec? *Ph.* Egone ósculum huic dem? *P.* Cúr non, quae ex te náta *sit?*
Ph. Tú- homo insanis. *P.* 'Egone? *Ph.* Tu *nae.* *P.* Quúr? *Ph.* Quia ego- hanc, quaé siet,
Néque scio, neque nóvi, neque ego hanc óculis vidi ante húnc diem.

---

vs. 45. *vivere* dicunt abesse et additum a Camerario; sed neque apud hunc neque apud Pareum id notari video. Reliquus vs. est, ut in V. C. scribitur. Vulgo, *Eho, Canthara statim iube.*

vs. 46. *Acropolistidem.* Mirum, quod Camerario, qui Telestidis nomen reponendum monuit, obsequi noluerunt. *Huc* (quod latere videbatur in *Ac*) ego ob versum addidi.

vs. 2. Vulgo, *venienti.*

vs. 5. *est.*

vs. 6. *tunc omnes.* Quod solvi. Vulgo, *tute.*

Túaĕ m

Fábulat

Mémii

Péctu

Tuaé

Qui

E

C

T

[illegible]

... quod a Londino ...

... in Pall. Exceduerunt ...

... unus Pal. 6. supereni-

Pátrem me vocáre, vitam túam ego interimam. *A.* Nón voco.
'Ubi voles pater ésse, ibi esto; ubi nóles, ne fuerís pater.
Quíd? Ob eam rem hánc emisti, quía tuam gnatám ratus?
Quíbus de signis ágnoscebas? *P.* Núllis. *Ph.* Quare fíliam
Crédidisti nóstram? *P.* Servos 'Epidicus dixít mihi.
Quíd si servo áliter visum'st, nón poteras novi'sse, óbsecro?
Quíd ego, qui illam ut prímum vidi, núnquam vidi póstea?
h. Périi misera! *P.* Né fle, mulier. 'Intro abi; habeto animúm bonum.
'Ego illam reperiam. *Ph.* Hínc Athenis cívis eam emit 'Atticus.
'Adulescentem equidém dicebant émisse. *P.* Inveniám, tace.
'Abi modo intro, atque hánc adserva, Círcam, Solis fíliam.
'Ego relictis rébus Epidicum óperam quaerendó dabo.
Si ínvenio, exitiábilem ego illi fáciam hunc ut fiát diem!

Actus Quintus. Scena Prima.

Stratippocles. Epidicus. Danista. Telestis.

St. Mále morigerus mih'i ést danista. Quíd me argentum nón petit?
Néque illam adducit, quaé 'st *mea* praeda. Séd eccom incedit 'Epidicus.

---

vs. 24. Vulgo, *interimam, pessuma,* contra Mss.
vs. 30. *primam* a m. pr.
vs. 1. *qui de me* a m. sec.
vs. 2. *quae'st . . . praeda.* Vulgo: *quae empta ex praeda est.* Quod mihi audacius corrigi videtur; nam *empta* etiam a Pall. et ed. princ. abest. Praeterea Stratippoclem amore ardentem, ut sqq. demonstrant, ista ieiunitas non decet. Itaque scripsi, quamquam nondum ipsi mihi satisfaciens, *quae est mea praeda.* Ut exsultet de parata iam amica suis artibus. Similiter vs. 41. *Nunc enim tu mea es!*

Quíd illuc est, quod ílli caperat fróns severitúdine?
Ep. Si úndecim deos praéter sese sécum adducat Júppiter,
'Ita non omnes éx cruciatu póterunt eximere 'Epidicum.
Périphanem emere lóra vidi; ibi áderat una Apoécides.
Núnc homines me quaéritare crédo. Senserúnt; sciunt,
Síbi data esse vérba. *St.* Quid agis méa commoditas? *Ep.* Quód miser.
St. Quíd est tibi? *Ep.* Quin tú mihi adornas ád fugam viáticum.
Priúsquam pereo? Nám per urbem duó defloccatí senes
Quaéritant me; in mánibus gestant cópulas. *secúncias.*
St. Hábe bonum animum! *Ep.* Quíppe ego, quoi libértas in mundó sita est!
St. 'Ego te servabo. *Ep.* 'Edepol me illi mélius, si nanctí fuant!
Séd quis est haec muliércula et illic grávastellus, quí venit?
St. Híc est danista; haec ílla 'st autem, quam émi ex praeda -. *Ep.* Haécine 'st?
St. Haéc est. Estne -, út tibi dixi? Aspécta! *Ep.* Haec? *St.* Contempla, 'Epidice,
'Usque ab unguiculo ád capillum súmmum est festuvíssuma.
'Estne? considéra *eam!* Signum píctum pulcre víderis.
Ep. 'Ex tuis verbis meúm futurum córium pulcrum praédicas,
Quem 'Apelles atque Zeúxis duo pingént pigmentis úlmeis.

---

vs. 3. *illic aperat.*
vs. 6. *aderat ibi.*
vs. 11. *secum siani.* Corrèxit Scal. Bothe *secum süaves*, ut esset acatal.
vs. 12. *libertatem*, quam acerbe sibi in mundo esse ait, ad fugam refero, quam meditatur.
vs. 13. Fortasse *te adservabo.* Quo aptius respondeat Epidicus ad vincula vocem detorquens; ut supra, *adserva hanc Circam*, et infra, *adserva istum, Apoecides.* Sic vs. 14. Festus, *qui advenit*, ubi libri *qui venit.*
vs. 18. *considera . . signum . eam* interposui; ipse accentus contortior admirantis orationem adiuvat.
vs. 20. *Appelles — pincent.*

St. Di ímmortales, *ótiosum* admíror pedibus! Púlmon' es,
Quí perhibetur? Priús venisset, quám tu advenistí mihi.
D. Haéc edepol remoráta me- est. *St.* Síquidem istius grátia,
'Id remoratus, quod ísta voluit, nímium advenistí cito.
D. 'Age, age, absolve me; átque argentum númera, ne comités morer.
St. Pérnumeratum'st. *D.* Téne cruminam; huc índe. *St.* Sapientér venis.
'Opperire, dum écferο ad te argéntum. *D.* Maturá. *St.* Domi'st.
Ep. Sátin ex oculis útilitatem optíneo sincere, án parum?
'E Philippa mátre natam † Thébis, Epidaurí satam
Víden' ego Teléstidem te, Périphani *senis* fíliam?
T. Quís tu homo's, qui meúm parentum nómen memoras ét meum?

---

vs. 21. *scio iussi admirer;* Pall. 2. et ed. princ. *socio.* Quod olim correxerunt, *otiose isse,* ingeniose, sed, numeris durioribus. Ego vocem breviorem, ut fit, a librariis distractam ratus, scripsi *otiosum.* Bothe, *otio isse pedibus;* sed duo ablativi molesti sunt. — *Pulmunes;* Pall. *pulmones.* Bothium sequor, scribentem *pulmon'es.* Id enim verum esse probat quod sequitur, *qui perhibetur.* Eademque verba demonstrant, esse pulmonem marinum intelligendum, quem propter tarditatem et ἀναισθησίαν, sicuti reliqua testacea, in proverbium venisse scimus.

vs. 24. *Id* remoratus et V. C. et Pall. et ed. princ. Quod magnopere decet adolescentem blande ad Telestidem omnia referentem. Vulgo, *Es remoratus.*

vs. 25. *numera* bis scribitur. In ed. princ. om. *me*, unde etiam in Pall. et fortasse etiam in C. V. abesse suspicor, non incommode.

vs. 29. *natam asthebis.* Nimis superstitiose istud *as* tueri mihi videntur, qui *ex* vel *abs Thebis* corrigunt. Sic enim orationis naturalis gratia perit, quae *natam* et *satam*, *Thebas* et *Epidaurum* sibi opponit. Unde sit *as*, videtur ed. princeps aperire, ubi est, *natan es — satan?* Sed nequaquam ita eam interrogat advenientem. Potius in summo corii discrimine repente eius adventu salvus in hanc festivam adlocutionem laetus solvitur, quae per duos versus continuanda est, ut omnis laetitiae accentus colligatur in, *Videon?* . Vulgo *ac Thebis.*

vs. 30. *senis* addidi. Sic enim de suis servi solent; et poterat ob syllabae praecedentis similitudinem facile omitti. Bothe *Periphanai;* sed verebar forma uti, cuius nulla in hac fabula significatio est.

Ep. Nón me novi'sti? *T.* Quíd quidem nunc véniat in mentém mihi, —
Ep. Nón meministi me * áuream ad te adférre natalí die
Lúnulam atque anéllum aureolum in dígitum? *T.* Memini, mí homo;
Tún' is es? *Ep.* Ego sum; et ístic frater †, ália matre, unó patre.
T. Quíd pater meus, vívu'st? *Ep.* Animo líquido et tranquillo és; tace.
T. Dí me ex perditá servatam cúpiunt, si vera aútumas.
Ep. Nón habèo ullam occásionem, ut ápud te falsa fábuler.
St. 'Accipe argentum hóc, danista; hic súnt quadragintá minae.
Sí quid erit dubium, ímmutabo. *D.* Béne fecisti; béne vale.
St. Núnc enim tu meá's. *T.* Soror quidem édepol, ut tu aequé scias.
Sálve frater. *St.* Sánan' haec est. *Ep.* Sána, si appellát suum.
St. Quíd? Ego modo huic fráter factus, dum íntro eo atque éxeo?
Ep. Quód boni est, id tácitus taceas túte tecum et gaúdeas.
St. Pérdidisti et répperisti mé, soror. *Ep.* Stultús', tace!
Tíbi quidem, quod amés domi praestó'st, fidicina, operá mea;
'Et sororem in líbertatem idem ópera concilió mea.
St. 'Epidice, fateór, — *Ep.* Abi intro ac iube huíc aquam caléfieri.
Cétera haec postérius faxo scíbis, ubi erit ótium.
St. Séquere hac me sorór-. *Ep.* Ego ad vos Théspriónem iússero

vs. 32. *novistis.*
vs. 33. collocatur in codd. post 34. Recte transposuit Acidalius. *me . . . auream.*
vs. 35. *frater tuus est in alia.* Eieci ego; cf. IV, 1, 37.
vs. 40. *erit* bis scribitur.
vs. 44. *Quid.*
vs. 50. Vulgo, *mea soror* contra Mss.

Hác transire. Séd memento, sí quid saeviúnt senes,
Súppetias mihi cúm sorore férre. *St.* Facile- ístuc erit.
Ep. Théspriọ, exi! istác per hortum; adfér domum auxiliúm mihi.
Mágna'st res. — Minóris multo fácto, quam dudúm senes.
Rémeabo intro, ut ádcurentur ádvenientes hóspites.
'Eadem haec intus édocebo, quae égo scio, Stratíppoclem.
Nón fugio. Domi adésse certum'st. Néque ille haut obiiciét mihi,
Pédibus sese próvocatum. Abeo íntro, nimis longúm loquor.

Actus Quintus. Scena Secunda.

Periphanes. Apoecides. Epidicus.

P. Sátin' ille hic homo lúdibrio nos vétulos, decrepitós duos
Hábet? *A.* Immo edepol, tú quidem miserúm me habes miserís modis.
P. Táce sis modo. Sine me hóminem apisci. *A.* Dico tibi ego iam, út scias;
'Alium tibi te cómitem melius quaérere. Ita dum té sequor,
Lássitudine ínvaserunt mísero in genua flémina.
P. Quót illic hodie mé- exemplis lúdificatu'st átque te!
'Ut illic autem exénteravit míhi ópes argentarias!
A. 'Apage illum a me. Nam ílle quidem Volcáni irati 'st fílius.
Quáqua tangit, ómne amburit, sí propius ăstes, cálefacit.

---

vs. 51. *saeviunt* puto vere a VV. DD. mutatum in *saevibunt.*
vs. 52. *suppecias.*
vs. 53. *ortum.*
vs. 54. *senex.*
vs. 56. *hac.*

vs. 3. *adipisci* a m. sec.
vs. 4. *comit. te.*
vs. 6. *Quod illi.* Fort. rectius: *Quot illic hodie me'st ex . ludificatus.*
vs. 9. F. *propius astes*, omissa *si* scribendum. Vulgo, *prope astes, aestu* etc. *aestu* non est in Mss.

Ep. Duódecim dis *plus*, plús quam in caelo deórum'st immortálium,
Míhi nunc auxilio ádiutores súnt et mecum mílitant.
Quídquid ego maleféci, auxilia míhi et suppetiae súnt domi.
Ἀπολακτίζω inimícos omnis. *P.* 'Ubi illum quaeram géntium?
A. Dúm sine me quaerás, quaeras mea caúsa, vel medio in mari.
Ep. Quíd me quaeris? quíd laboras? quíd húnc sollicitas? écce mé!
Núm te fugi? num áb domo absum? num óculis concessí tuis?
Néc tibi supplicó! vincire vís? Hem- ostendó manus!
Tú- habes lora; ego te émere vidi. Quíd nunc cessas? cónliga!
P. 'Ilicet! vadimónium ultro míh'i hic facis? *Ep.* Quid? cónligas?
A. 'Edepol, mancipiúm scelestum! *Ep.* Té profecto, Apoécides,
Níh'il moror mihi déprecantem. *A.* Fácile exoras, 'Epidice.
Ep. 'Ecquid agis? *P.* Tuon' árbitratu? *Ep.* Meo hércle vero, atque haúd tuo.
Cónligandae haec súnt tibi hodie. *P.* At nón libet; non cónligo.

---

vs. 10. *plus* adieci, quod et versus et sententia postulare videbatur. Refertur haec oratio ad scenam praecedentem, ubi vs. 4. *undecim cum Iove deos* se servare non posse dicebat; nunc *plus duodecim dis* sibi ait auxilio esse. — *celum.*

vs. 11. *auxilo.*

vs. 17. *vincere* a m. pr. — *Em.*

vs. 19. Vulgo, *facit. Ep. Quin.* Utrumque contra Mss.

vs. 21. *deprae . facil exoras* . hinc Bothe *deprecari;* Ego malui scribere *deprecantem;* participium etiam artius se adiungit, ad Apoecidis verba, ad quae Epidici oratio irridentis referenda est: *Mancipium scelestum.* Vulgo, *precatorem.*

vs. 22. *verbo atque aud tuo.* Vulgo, *Eho quid agis?*

vs. 23. Vulgo, *hae sunt.*

'At 'mihi magis libét solutum té rogitare. *Ep.* At nih'il scies.
A. Trágulam in te iniícere adornat; néscio quam fabricám facit.
Ep. Tíbi moram facis, quom égo solutus ásto. ălliga, inquam, cónliga.
P. 'At mihi magis libét solutum té rogitare. *Ep.* At nih'il scies.
P. Quíd ago? *A.* Quid agas? mós geratur. *Ep.* Frúgi es tu- homo, Apoécides.
P. Cédo manus igitúr. *Ep.* Morantur níhil. Atque arte cónliga!
Nih'íl vero- obnóxiose! *P.* Fácto opere arbitrámino!
Ep. Béne hoc habet. Age núnc ĭam ex me exquíre; rogita, quód lubet.
P. Quá fiducia aúsus primum, quae émpta 'st nudius tértius,
Fíliam meam dícere esse? *Ep.* Líbuit. Ea fidúcia.
P. 'Ain' tu? Libuit? *Ep.* 'Aio; vel da pígnus, ni ea sit filia.
P. Quám negat novisse mater? *Ep.* Ni érgo matris filia 'st,
'In meum nummum, in tuúm talentum pígnus da! *P.* Enim istaec cáptio est.
Séd quis ea'st muliér? *Ep.* Tui gnati amica, ut omnem rém scias.
P. Dédin' tibi minás triginta ab fíliam? *Ep.* Fateór datas,

---

vs. 24. iam Acidalius induxit. Ego assentior; sed non quod repetitio molesta sit, sed quia praecedens oratio, *At non libet* etc. demonstrat hic eam repetitionem a Plauto non venisse.
vs. 25. *tragula — fecit.*
vs. 26. *alege* V. C. Pall. et. ed. princ., non *adliga*, ut vulgo; quare saltem *alliga* scribendum erat, (nisi aliud quaerendum,) quo syllaba commodius corripi posset in duplicata *ll*, ut supra *callidus*, II, 8, 73. Nisi potius utroque in verbo mediam liquescere dicas.
vs. 30. *obnoxiosse.* Vulgo, *arbitraminor.*
vs. 33. *fidutia.*
vs. 34. *vel ad pingnus.*
vs. 36. *iste captio.*
vs. 37. *rem* om.
vs. 38. *diden.* Videtur *Dédi* propter accentus pondus hic primam producere.

'Et eo argento illim me emisse amícam fili fídicinam,
Pró tua filia. *'Istam ob rem* te tétigi trigintá minis.
P. Quómodo me ludós fecisti de illa conductítia
Fídicina? *Ep.* Factum hércle vero, et récte factum iúdico.
P. Quíd postremo argénto factum'st, quód dedi? *Ep.* Dicám tibi.
Néque malo homini, néque benigno, tuó dedi Stratíppocli.
P. Cúr dare ausus? *Ep.* Quía mihi libitum'st. *P.* Quaé, malum, haec *ferócia* 'st?
Ep. 'Etiam inclamitór, quasi servos? *P.* Quóm tu es liber, gaúdeo.
Ep. Mérui, ut fierem. *P.* Tú meruisti? *Ep.* Více intro; ego faxó scies,
Hóc ita esse. *P.* Quíd est negoti? *Ep.* Iam ípsa res dicét tibi.
'Abi modo intro. *P.* Hei, nón illuc temere 'st. 'Adserva istum, Apoécides.
A. Quíd illuc, Epidice, ést negoti? *Ep.* Máxuma hercle iniúria.
Víctus adsto, quóius haec hodie ópera inventa est fília.
A. 'Ain' tu, te illius invenisse fíliam? *Ep.* Inveni ét domi'st.
Séd ut acerbum 'st, pró benefactis quóm mali messím metas?

---

vs. 40. *Istam ob rem* in uno Pal. 6. est. Cett. et ed. princ. cum V. C. *Iste ab ore tetigi*, cuius illa interpolatio non optima est. Mihi propius abesse a vero videtur: *his te adortus*. I. e. hoc dolo, quasi filia emenda sit, te adortus sum. Vulgata, *istis adeo te* a Camerario est; ea confirmationem peccati continet, qua nunc non indigemus.

vs. 41. *ludo* Omnes. Vulgo, *ludifecisti.*

vs. 44. *dedist . . . ippocli.* Quo non praeclarius testimonium de fide huius librarii dici potest . *tuo* superscr. a m. sec.

vs. 45. *ferocia* om. Omnes. Dedit Lamb. e Ms. Vascosano.

vs. 46. *quesi.*

vs. 47. *visse.*

vs. 49. *Ibi modo . illuc* pro monosyl . videtur accipi.

vs. 51. *haec* fortasse vitiosum; ortum ex *heic*, idque reducendum.

vs. 53. *malis me sim.* Quod fortasse tutius erat retinere, *malis messim.* Saltem formam in *im* diutius eripi Plauto iniuriam putavi.

A. Quémne hodie per úrbem uterque súmus defessi quaérere?
Ep. 'Ego sum defessús reperire, vós defessi quaérere.
P. Quíd *isti* oratis ópere tanto? *com*meruisse intélligo,
'Ut liceat merito húius facere. Cédo tu, ut exsolvám manus.
Ep. Ne áttigas! *P.* Osténde vero. *Ep.* Nólo. *P.* Non aequóm facis.
Ep. Númquam hercle hodie, nísi supplicium míhi das, me solví sinam.
P. 'Optimum atque aequíssimum oras. Sóccos, tunicam, pállium
Tíbi dabo. *Ep.* Quid deínde porro? *P.* Líbertatem. *Ep.* At póstea?
No'vó liberto opú'st quod pappet. *P.* Dábitur; praebebó cibum.
Ep. Númquam hercle hodie, nísi me orassis, sólves. *P.* Oro te, 'Epidice,
Míhi ut ignoscas, sí qui'd imprudens cúlpa peccaví mea.
'At ob eam rem líber esto. *Ep.* Invítus do hanc veniám tibi.
Nísi necessitáte cogar; — Sólve sane, sí lubet!

Grex.

Híc is homo'st, qui líbertatem málitia invenit sua.
Plaúdite et valéte. Lumbos súrgite atque extóllite.

---

vs. 54. *Quamne.*

vs. 56. *Quid istis or.* etiam Pall. quamquam Taubm. eos habere *isti* affirmat. Ego *isti*, quod etiam Lambinus volebat, ex ed. princ. assumsi; non autem *istic* explico, sed dativum habeo, *isti Epidico.* — Ibid. *meruisse.* Ego *commeruisse* propter versum scripsi, tanto hauserat compendium ↄ, *com.*

vs. 58. *attiCas.*

vs. 67. Hos versus prioribus V. C. continuo adiungit. Disiungunt Pall.

vs. 68. *et* negat, ut videtur, Taubm. esse in V. C. Nihil notat Pareus; etiam Camerarius *et* habet, nihil monens de V. C.

SEP 12 1901

Lp 26.385
M. Acci Plauti Epidicus /
Widener Library 001448702
3 2044 085 219 723